DE PRIMORDIIS

BITURICENSIS PRIMATIÆ

DE PRIMORDIIS

BITURICENSIS PRIMATIÆ

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi proponebat

G. PARISET

NANCEII

EX TYPIS BERGER-LEVRAULT & SODALIUM

—

MDCCCXCVI

ORNATISSIMO VIRO

A. LUCHAIRE

in Facultate Litterarum Parisiensi medii ævi historiæ Professori

D. D. D.

DE PRIMORDIIS

BITURICENSIS PRIMATIÆ

PROŒMIUM

« Facilius quis Nili fontes quam Bituricensis primatiæ originem invenerit », aiebat, anno 1657, La Brousse[1]. Et recte quidem : monumenta quæ supersunt de Bituricensis primatiæ primordiis adeo rara et obscura videntur, ut non modo nihil compertum habeamus, sed etiam crescat et adaugeatur dubitatio, si disparata et secum pugnantia argumenta historicorum paulisper colligamus. Quemadmodum enim apes, quum pabulatum eunt, passim huc illuc vagantur, prout libido fert, « saltus silvasque peragrant, purpureosque metunt flores[2] », et purissima tandem mella stipant, sic recen-

1. Pasc. Franc. de La Brousse, *Pro Clemente Quinto pontifice maximo Vindiciæ, seu de Primatu Aquitaniæ Dissertatio ;* Parisiis, 1657, in-4°, p. 29.

2. P. Vergilii Maronis *Georg.*, IV, v. 53, sq.

tioris ætatis scriptores veterum annalium memoriam replicant, res factaque temere quærunt, atque ea, quæ fors obtulerit, excerpta et quasi in fascem coacta, velut Bituricensis primatiæ historiam proponunt.

Sane vulgata est plerorumque sententia, et communis fere doctrina, Bituricam civitatem primatialem dignitatem in Gallicana Ecclesia obtinuisse quod, jam carolinis, vel superioribus quidem temporibus, politicum caput esset Aquitanici regni. Legitur apud Petrum de Marca, quem Thomassin, Hinschius, et « Galliæ christianæ », Historiæque Francorum[1] scriptores, et cæteri vicissim pæne ad verbum exscripserunt[2] : « Prima [gallicanarum] ecclesiarum omnium, quæ illo dignitatis [primatiali] titulo aucta fuit, est Bituricensis metropolis, cujus incrementa acciderunt ab a° 767 usque ad a^m 864[3]. »

Sunt vero nonnulli qui contendunt[4] « qu'il n'a été question qu'après Charlemagne de la primatie de Bourges », quinetiam[5] « que jusqu'au Xe siècle on

1. *H. Fr.* — *Rerum Gallicarum et Francicarum scriptores* (Recueil des historiens des Gaules et de la France), Paris, 1738-1876, 23 vol. f°.

2. Cf. infra : cap. III, sq.

3. Petri de Marca *Dissertatio de primatu Lugdunensi et ceteris primatibus,* p. 145, in libro qui inscribitur : « Petri de Marca... Dissertationes III Stephanus Baluzius Tutelensis in unum collegit. » Parisiis, 1669, 8°. — Petri de Marca dissertatio de Primatibus scripta fuit a° 1643, edita autem a° sequenti primum typis regiis in tomo XXVI Conciliorum, dein seorsim (Parisiis, 1644, 8°).

4. Bladé, in *Annales de la Faculté des Lettres de Bordeaux,* 1894, p. 147.

5. Dom Devienne, *Histoire de la ville de Bordeaux,* 2e édition, Bordeaux, 1862, 2 vol. 4°, t. II, p. 364. (Edit. I^a, *ibid.*, 1771).

n'aperçoit aucune trace du titre de primat d'Aquitaine que réclame l'archevêque de Bourges ».

Hoc igitur nobis propositum est historicorum argumenta primo singillatim exsequi, deinde quasi a fonte repetere, ut fides eorum æstimetur. Ne multa : nobis judicandi sunt rerum scriptores a rerum auctoribus.

CAPUT I

DE STATU BITURICENSIS SEDIS USQUE AD FINEM IMPERII ROMANI

§ 1.

De origine Bituricensis primatiæ tali modo disseruit olim antiquissimus historicorum Aquitaniæ, cui nomen est Chaumeau[1] : « Bituriges » a « Bitogyges » derivatur; atqui, armeniaca lingua, *Bit* filium designat, *Ogyges*que Noe patriarcham; ergo « Bitogyges » filium Noe significat. Notum est Noe patriarcham Japhetum genuisse; Japhetus ipse septem filios procreavit, inter quos major natu fuit « Gomer Gall », vel « Gallus », qui, postquam ex Asia in Europam migravit, Bituricam urbem fundavit, a° 134 post diluvium, 1791 ab orbe condito. Itaque Bituriges a Noe patriarcha originem trahunt « et par ainsi, ait Chaumeau, le Patriarchat ne luy a esté [à Bourges] sans grande raison iusques auiourdhui reservé, comme estant par le patriarche Gomer Bitogygès premièrement fondé[2]. » Sed jam a°

---

1. Chaumeau de Lassay, *Histoire de Berry contenant l'origine, l'antiquité, gestes, prouesses, privilèges, libertés des Berroyers, avec particulière description du pays*, Lyon, 1566, f°, liv. 1, chap. 2, p. 4, sqq. et p. 281. Cf. *Patriarc. Bituric.*, Præf. (Labbe, *Nova Bibl. mss.*, t. II, p. 3).

2. Id., *ibid*, p. 6.

1647 p. C. Labbe repudiavit interpretationem verborum a Chaumeau a° 1566 excogitatam[1], de qua non amplius disputandum videtur.

§ 2.

Quidquid est de origine quam historia fabularis Biturigibus adjudicaverit, ii in magna potentia fuerunt antequam Galli sub dicionem populi romani ceciderunt. Oppidum munitissimum exstruxerant, quod Avaricum nominaverunt. Regionem septentrionalem Garumnæ, i. e. Celticam Galliam incolebant, ut testatur Cæsaris locus ille : « Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt...... Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenæos montes et eam partem Oceani quæ est ad Hispaniam pertinet[2] ». Simili modo Aquitani a Strabone Gallis opponuntur[3]. Ab Aquitania pristina excludendi sunt igitur Bituriges[4]. Attamen, si de primatia Bituricensi in Aquitania nondum agitur, primatus quidam Bituricensis jam

---

1. P. Phil. Labbe, S. J., *Histoire du Berry abrégée dans l'éloge panégyrique de la ville de Bourges,* Bourges, 1840, 8°, 1re partie, § 1. (Edit. Ia, Paris, 1647).

2. C. Julii Cæsaris *de Bello Gallico,* I, 1. Cf. III, 27.

3. Strabonis *Geogr.,* IV, 1, § 1 et IV, 2, § 1.

4. De pristina Aquitaniæ geographia optime disseruit olim Rocquain de Courtemblay, *Variations des limites de l'Aquitaine depuis l'an 58 avant J.-C. jusqu'au Xe siècle, in* Bibliothèque de l'École des Chartes, t. XXII (5e série, t. II), 1860-1861, p. 256-271.

nobis notandus est. « Prisco Tarquinio Romæ regnante, ait enim T. Livius [1], Celtarum, quæ pars Galliæ tertia est, penes Bituriges summa imperii fuit. Ii regem Celtico dabant. » Adde quod Bituriges examinaverunt, ut ita dicam. Dum Bituriges prisci, qui Cubi appellantur, in regione remanent cujus Avaricum caput erat, coloni eorum, qui Bituriges Vivisci nominati sunt, usque ad Garumnæ ostium progressi sunt, ubi Burdegalam urbem condiderunt. Testes sunt et Strabo [2], et Plinius major [3] Ptolemæusque [4], qui Bituriges Cubos Avaricumque a Biturigibus Viviscis Burdegalaque secernunt. Ad hunc modum, Gallis libertate fruentibus, primatus competebat Biturigibus et Celtarum omnium et Burdegalensium.

Inde originem repetendam esse et patriarchatus Bituricensis simul ac juris regis Franciæ coronandi vel sacro oleo inungendi [5], et primatiæ in Burdegalensem provinciam exercendæ, existimaverunt eruditissimi viri, XVII° sæculo florentes, ut Chenu [6], Deboisrouvray [7],

1. T. Livii lib. V, cap. 34.

2. Strabonis *Geogr.*, IV, 2, § 1.

3. C. Plinii Secundi *Naturalis historia*, lib. IV, cap. 33 (et cap. 31).

4. Ptolemæi *Geogr.*, II, 7.

5. Cf. infra, cap. III, § 10, p. 67-70.

6. Joan. Chenu, *Chronologia historica patriarcharum, archiepiscoporum Bituricensium et Aquitaniarum Primatum*, a° 1603 primo edita, nunc vero editioni secundæ accessit catologus decanorum, etc. Parisiis, 1621, 4°, p. 69, sq.

7. I. Deboisrouvray, *Traicté et décision de l'ancienne dispute d'entre les archevesques de Bourges et de Bourdeaux sur la Primatie d'Aquitaine*. Lyon, 1628, in-12, p. 85. Cf. p. 59 et 61.

Labbe[1], Hauteserre[2], Catherinot[3]. Quorum doctrina, a La Brousse aº 1657 jam negata[4], ab historicis nunc omittitur, neque examussim nobis disputanda videtur.

§ 3.

Gallis a Cæsare subjectis (aº 58-51 a. C.), fines Aquitaniæ usque ad Ligerim flumen propagati sunt. Nam Romani, postquam in Gallia transalpina duas partes, scilicet Galliam comatam (Celticam vel Lugdunensem) et Galliam braccatam (vel Provinciam Narbonensem) distinxerunt (c. a. 27 a. C.), Galliam celticam ipsam in tres partes, Belgicam, Lugdunensem et Aquitanicam, distribuerunt (c. a. 15 a. C.), ita ut Aquitania nova magnam partem pristinæ Celticæ complecteretur. Priscam igitur Aquitaniam ibericam excepit, ab Augusto usque ad IIIum sæculum p. C., Aquitania magna gallo-romana[5].

Jam, aº 1681, contendebat Catherinot[6] Augustum hac divisione Avaricum vel Bituricam ut urbem primariam

---

1. Labbe, *op. cit.*, 1re partie, § 1, 7, 8.

2. Ant. Dadin. Alteserra (vel Hauteserre) *Rerum aquitanicarum libri V in quibus vetus Aquitania illustratur* (t. I) *et libri qui sequuntur quibus continentur gesta Regum et Ducum Aquitaniæ, a Clodoveco ad Eleenoram usque* (t. II). Tolosæ, 1648-1657, 2 vol. 4º, t. I, p. 244.

3. Le Sr Catherinot, *Le Patriarcat de Bourges*, « De Bourges, le 1er jour de janvier 1681 », 20 p., 4º, 1re partie, p. 1. Cf. 3e partie, p. 16.

4. La Brousse, *op. cit.*, p. 39, c. 10.

5. Strab., IV, 1, § 1, et 2, § 1 ; Plin., VI, 31 ; Pomponius Mela, III, 2 ; Ptolem., II, 7 ; Dion Cassius, XXXIX, 46.

6. *Op. cit.*, 1re partie, p. 1.

in Aquitania nova constituisse; nunc vir eruditissimus Leroux[1], missis ambagibus, significat Bituricensem primatiam esse « une conséquence de la maîtrise exercée par Bourges sur toute l'Aquitaine, d'Auguste à Dioclétien ».

Aliquid veri, aliquid autem falsi sententia ejus continere nobis videtur. Non enim dubitandum est quin per unum et alterum sæculum p. C. homines consueverint Aquitaniæ limites usque ad Ligerim flumen extendere. Quæ consuetudo longo post tempore perstitit, nec solum facilem reddidit Aquitaniæ unicæ restitutionem, loco Aquitaniæ tripertitæ, quam Diocletianus paucis ante annis instituerat, ut infra scribitur (§ 4), sed etiam suggessit modum Aquitaniam describendi geographis medii ævi, apud quos fragmentum quoddam « totius orbis Descriptionis » Ethico adscriptum[2], necnon ab Orosio transcriptum[3], maxima fruitum est auctoritate[4]. Ex quibus fontibus hauserit, quove sæculo vixerit Ethicus, vel potius Pseudo-Ethicus, philologi certant;

---

1. Alfr. Leroux, *La Primatie de Bourges.* (Extrait des *Annales du Midi*, t. VII), Toulouse, 1895, 8°, p. 4.

2. Ethici *Totius orbis Descriptio,* ed. Baudet, in collect. Panckouke, p. 68. Cf. ejusdem *Cosmogr.*, ibid., p. 24, sq.

3. Pauli Orosii *Hist.*, lib. I, cap. 2.

4. H. Fr., t. III, p. 544 : Ex *Vita S. Remacli episcopi Trajectensis* (extremo X° sæc.) ; M. G. H., SS., t. VII, p. 181 : Herigeri Lobiensis *Gesta episcoporum Tungrensium, Traiectensium et Leodensium,* lib. 1, cap. 41 (initio XI[i] sæc.) ; M. G. H., SS., t. VIII, p. 291: *Chronicon* Hugonis *monachi Virdunensis et Divionensis, abbatis Flaviniacensis,* lib. 1 (extremo XI° sæc.) ; M. G. H., SS., t. IX, p. 356, sq. : Ex Hugonis *Floriacensis Hist. eccl.*, ed. II[a], lib. V, Prolog. (initio XII[i] sæc.); H. Fr., t. III, p. 25, sq. : Aimoni *Monachi Floriacensis* Præfatio in gesta Francorum (initio XI[i] sæc.). Cf. ibid., p. 158 sq. *Chroniques de S. Denis*, I, 5.

constat vero « Descriptionem » ejus imperii romani partitionem Diocletiani regno antiquiorem consignavisse. Igitur non omnino a conjectura aberrat Leroux.

Cujus tamen assertio superquam quod nimiopere « exclusoria », ut aiunt jureconsulti, videtur (quum Bituricensis primatiæ origines, naturali humanarum rerum habitu, multiplices, neque e causa unica deducendæ sint) non incorrecta quidem nobis accipienda est. Simul enim cum Aquitania magna, ab Ethico descripta, citabantur medio ævo et Aquitania vetus Cæsaris[1] et Aquitania tripertita Diocletiani[2]. Ergo si, ut Leroux dicit, « les primaties découlèrent après Charlemagne de souvenirs historiques peu à peu ressuscités et que l'érudition du XIX[e] siècle est en état de retrouver[3] », certum quidem est non solam Aquitaniæ magnæ recordationem permansisse. Sin autem Aquitaniæ veteris tripertitæve memoria omnino jam abolevisset, quid interfuisset ad jura Bituricensis sedis? Notum est Belgicam, Aquitaniam magnam et Lugdunensem totum quoddam constituisse cui nomen fuit « III Galliæ ». Apud Iwan Müller[4] scriptum videmus : « Diese III Galliæ bildeten... einen in sich geschlossenen Lænderkomplex, mit dem

---

1. M. G. H., SS., t. III, p. 569 : Richeri *Historiarum* lib. I, cap. 2 (extremo X° sæc.) ; ibid., t. IX, p. 356, sq. Ex Hugonis *Floriacensis Hist. eccl.*, loc. cit. ; H. Fr. t. III, p., 25, sq. Ex Aimone *monacho Floriacensi,* loc. cit.

2. Cf. infra, § 4, sq.

3. Op. cit., p. 6.

4. *Handbuch des klassischen Altertums-Wissenschaft in systematischen Darstellung*, hrsg. v. Dr Iwan Müller, 3. Bd. Nördlingen, 1889, 8°, Abth. C, Kap. 1 : Geographie von Italien u. der römischen Provinzen, von Dr Julius Jung, § 4 : der gallische Ländersprengel, p. 522.

Zentrum Lugdunum... Sie waren eine administrative Einheit... Die gesammte Verwaltungsapparat der gallischen Provinzen konzentrierte sich in Lyon. » Nec aliter Jullian[1] : « Lyon était au IIe siècle... la capitale de la Gaule..., le cœur de la Gaule. » Potest fieri Aquitaniam legatum proprium accepisse, qui stabilem Bituricæ sedem haberet. Jam vero Biturica primum inter Aquitanicas urbes locum dereliquerat. « Bourges était maintenant fort déchue de son antique éclat... Bourges n'était plus qu'une assez grande ville industrielle... Il est probable aussi que Bourges était une ville de commerce. » E contrario : « Bordeaux, au IIe siècle, était en pleine activité... ; au IIIe siècle, Bordeaux grandira encore. » Quid multa? Nequicquam, II° sæculo p. C., vestigia quæres summi illius magisterii — « maîtrise », ut ait Leroux[2], — quo fruita Biturica urbs fuisset in Aquitania magna.

Unde consequitur nihil hactenus probavisse Bituricam urbem Aquitaniæ caput olim fuisse. Nam, quemadmodum tempore gallico Biturica caput quidem fuit, quum vero Aquitania nondum constituta erat, ita, tempore alti romani imperii, Aquitania magna constituta fuit, quum Biturica vero jam caput non amplius erat.

§ 4.

Postquam Aquitania magna per duo sæcula duravit, disjungitur. Secernitur primum (III° videlicet sæ-

1. *Gallia, Tableau sommaire de la Gaule sous la domination romaine,* Paris, 1892, in-16, p. 267, 309, sq., 314, sq.

2. Op. cit., p. 4.

culo) regio quæ Pyrenæis montibus Garumnaque flumine circumscribitur, i. e. Aquitania pristina ibericave Cæsaris, cui Novempopulania nomen imponitur. Deinde Aurelianus (a. 270-275 p. C.) Diocletianusque (a. 284-305 p. C.) imperatores Aquitaniam ipsam ex indice romanarum provinciarum tollunt. Novus nascitur ordo, simul et antiquo discrimine rursus separantur hinc Gallia septentrionalis vel comata, vel tripertita (III Galliæ), cum « Gauverfassung », ut hoc germanico verbo utar, illinc Gallia meridionalis, vel braccata, vel provincialis (Provincia Narbonensis), cum « Stadtverfassung ». De provinciis inter quas Gallia omnis adhuc distribuebatur, diœceses duæ fiunt, quæ, quamquam in provincias iterum dividuntur, a vicariis administrantur singulis, et quarum altera (Gallica scilicet) Lugdunensem Belgicamque provincias complectebatur, altera (Viennensis dicta), Narbonensem Aquitanicamque provincias. Contendit etiam Ammianus Marcellinus [1] Gallicam diœcesim Bituriges complexam esse, Viennensem vero Aquitaniam (meridionalem), cum Viennensi, Narbonensi, Novempopulaniaque provinciis, tali modo ut Viennensis diœcesis quatuor provincias contineret. Mox quidem Biturica civitas cum Aquitania iterum conjuncta est.

Quum autem postea Alpes Maritimæ separatim notarentur, atque Aquitania (ante a. 369), simul et Narbonensis (ante a. 381), in duas partes dividerentur, V, VI et VII provincias Viennensis diœcesis complexu suo vicissim continuit. Loco Viennensis, « VII Pro-

1. Lib. XV, cap. 11. Cf. M. G. H., SS. antiquiss., t. IX[1], p. 552.

vinciæ » tunc Gallicæ diœcesi opponuntur, tam apud antiquiores [1] quam in medio ævo, præsertim vero XII° sæculo, tempore Calixti II papæ, cujus decreta [2] Lugdunensi Viennensique primatiæ totam Gallicanam Ecclesiam assignaverunt.

Divisis provinciis, pars illa « primæ » nomen obtinebat, cui metropolis obtingebat, quæ ante divisionem totius provinciæ caput erat. Provinciarum rectores in potestate tenebantur a vicariis diœcesanis, sicut postea vicarii a præfecto prætorii. Cæterum, in rebus omnibus æquale erat jus omnium provinciarum, ita ut nulli ex eis quæ primæ dictæ erant in secundas aliquod esset imperium.

Ut ad « Aquitaniam magnam » redeamus, tres provincias intra fines ejus invenimus in Laterculo qui Polemio Silvio, necnon a° 385/86 p. C. adscribitur [3]; quas provincias denuo reperimus a° 400 p. C. in « Notitia Galliarum », cum nomine civitatum [4]. Metropolis

---

1. Vide Duchesne, *Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule,* Paris, 1894, 8°, t. 1, p. 89, sq.

2. 28-6 1119 (ap. Ulysse Robert, *Bullaire du pape Calixte II,* Paris, 1891, 2 vol. 8°, t. I, p. 36-38; cf. ejusdem, *Hist. du pape Calixte II,* Paris, 1891, 8°, p. 53, sq.) ; 25-2 et 16-10 1120, 5-1 1121 (cf. Jaffé *Reg. pont.,* ed. IIª, nis 6822, 6865, 6888).

3. M. G. H., SS. antiquiss., t. IX¹, p. 537, sq.

4. Ibid., p. 603, sqq. «... XII *Provincia Aquitanica Iª*, civitates n. VIII : 1. Metropolis civitas Biturigum, 2. — Civitas Arvenorum, 3. — Rutenorum, 4. — Albigensium, 5. — Cadurcorum, 6. — Lemovicum, 7. — Gabalum, 8. — Vellavorum. XIII *Provincia Aquitanica IIª*, civitates n. VI : 1. Metropolis civitas Burdigalensium, 2. — Civitas Aginnensium, 3. — Ecolismensium, 4. — Santonum, 5. — Pictavorum, 6. — Petrocoriorum. XIV *Provincia Novempopulana* (vel *Aquitanica IIIª*) civitates n. XII : 1. Metropolis civitas Elusatium, 2. — Civitas Ausciorum... », etc.

civitas Aquitaniæ Iæ Biturica tunc erat, IIæ, Burdegala. Nullo igitur jure fruebatur Aquitania Ia erga IIam, nec Biturica erga Burdegalam.

§ 5.

Attamen magni nobis videtur esse momenti « Notitia Galliarum ». Miro enim rerum concursu, fit ut « Notitia », quæ novissimum est monumentum administrativæ geographiæ imperii romani, simul et antiquissimum sit monumentum christianæ geographiæ Ecclesiæ romanæ, et usque ad nostrum tempus, et præsertim apud Gallos.

Nam, quum Romani « Notitiam » scripto tradebant, evangelizatores, inter quos S. Martinus Turonensis episcopus (a. 372-397) maximam meritus est gloriam, Gallos a falsorum numinum cultu ad fidem christianam deducebant. Per id tempus — nec antea : constat enim Gallicanam non ab apostolicis fundatam esse Ecclesiam — primi apud nos exstiterunt episcopi. Quod ad Bituricensem sedem attinet « il ne remonte pas à une antiquité plus haute que le déclin du IVe siècle », ait Duchesne[1]. Satis apud nostros historicos pervulgatum est christianos episcopatum in locum provincialis flaminii substituisse. « [A son titre d' « episcopus », l'évêque] joignit ceux de « sacerdos » et de « pontifex ». Or ces deux termes étaient ceux par les-

1. *Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule*, p. 19, sq. Cf. p. 21, sq. : « La série épiscopale de Bordeaux ne peut guère avoir commencé avant l'année 300 ».

quels on avait désigné jusque-là, dans la religion païenne de l'Empire, les grands prêtres provinciaux. Les évêques prirent leur titre en prenant leur place[1]. »

Subjiciebant olim historici clericalem apud paganos hierarchiam quamdam fuisse, quæ, ad similitudinem civilis imperii romani hierarchiæ configurata, ecclesiæ christianæ hierarchiam vice sua configuravisset. « Ubi *primi flamines* antiquitus erant, ibi postmodum *primates* seu *patriarchas* institutos fuisse per Petri apostoli auctoritatem commemorat S. Clemens..., ubi autem *archiflamines,* illic similiter *archiepiscopos* et ubi *flamines,* ibi *episcopos*... ordinatos ac positos esse idem S. Clemens evidenter ostendit[2]. Et quia olim apud Ethnicos (Bituriges)... primi flamines residere (quorum via primates instituti sunt), constat nullo refragante quod in Aquitania ecclesiastica dignitas inviolabilis semper permansit Bituris. » Sic Vernier, medio XVI° sæculo, in libello qui « Patriarchium Bituricense » inscribitur[3], sic Chenu, a° 1603[4], necnon Deboisrouvray, a° 1628[5]. Quorum doctrina, quamvis a doctissimis viris, nominatim a Duchesne, semper reprehensa fuerit, nunc etiam viget, non quidem sine correctione, apud historicos, si non Bituricensis, at certe Lugdunensis se-

1. Fustel de Coulanges, *La Monarchie franque,* Paris, 1888, 8°, p. 513 ; cf. p. 534, sq.

2. Isidori Mercatoris *Collectio,* Clem. 28, sq.; cf. Anacl. 26, 28, necnon Steph. II pp. 9 et Jul. 12 (edit. Hinschius, Lipsiæ, 1863, 8°, p. 39, 79, 82, 185 et 469).

3. Cap. XXXVII, ap. Labbe, *Nova bibliotheca manuscriptorum librorum*, Parisiis, 1657, 2 vol. f°, t. II, p. 59; cf. ibid., Præfat, p. 4.

4. Op. cit., ed. II^a, p. 68.

5. Op. cit., p. 74-76.

dis[1]. Utut illud acceptum sit, non vero nobis dubitandum videtur quin ecclesiastica christianorum hierarchia originem ducat suam a civili Romanorum hierarchia.

Quemadmodum urbes quæ in « Notitia » ut « civitates » designabantur episcopales sedes, sic urbes « metropolitanæ » archiepiscopales factæ sunt. Non quidem statim post V^um^ sæculum. Si, a° 472, quum Romani ex urbe Biturica ad perpetuitatem facesserent, Sidonius Apollinaris caput Aquitaniæ I^æ^ metropolitano titulo forte decoravit[2], notandum tamen nobis est primos archiepiscopos velut cæco casu, nec regulariter, scilicet secundum indicia « Notitiæ », in Gallicana Ecclesia constitutos fuisse. Ut hoc uno exemplo utar, satis constat summum pontificem primum archiepiscopalem dignitatem contulisse Arelatensi sacerdoti[3], cujus civitas ut metropolitana nusquam in « Notitia » designatur. Diu exspectandum est historico, dum « Notitia » metropolitanarum provinciarum delineationem præbeat Ecclesiæ. Quod demum evenit in fine VIII^i^ sæculi, et initio IX^i^ sæculi, quum carolini principes archiepiscopalem dignitatem instauraverunt[4], ex quo tempore « Notitia » sæpe citatur, una cum Cæsare vel Ethico, ut geographicum magni ponderis monumen-

1. Exempli gratia vide AN. DE BARTHÉLEMY, *Revue des questions historiques*, t. V, 1868, p. 44. Cf. DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, p. 19, n. 4 (et p. 10, n. 2).

2. SIDONII *Epistularum* lib. VII, p. 9, in M. G. H., Auctorum antiquiss. t. VIII, p. 117.

3. DUCHESNE, *La Primatie d'Arles* (Extrait des *Mémoires de la Société nationale des antiquaires de France*, t. LII), Paris, 1893, 8°, p. 180, sqq.

4. Cf. infra., cap. III, § 5, p. 56.

tum[1]. Jure quidem ac merito : nam de « Notitia » non secus ac si metropolitani juris in Gallicana Ecclesia esset fundamentum concludendum nobis videtur.

Nec jam satis est. Ab iis qui postea de Bituricensi primatia disseruerunt, vel potius qui primatialia jura Bituricensis sedis stabilire contenderunt, citata est quoque « Notitia ». Nam, apud « Notitiam », Aquitania I^a vocatur Bituricensis provincia, II^a Burdegalensis, necnon III^a Novempopulania, tali modo ut tripertita Aquitania nova magnam Aquitaniam quæ quondam fuerat instauret. Adde quod in Aquitania magna sic restituta, Biturica urbs non solum metropolitano titulo fruebatur, verum etiam primo loco in catalogo « Notitiæ » ; nunc quidem profecto erat « prima Aquitaniæ metropolis », atque simili fere titulo adornabitur a medii ævi scriptoribus[2].

1. Vide *Chronicon* Hugonis *Monachi Virdunensis*, lib. 1, M. G. H., SS., t. VIII, p. 291 ; Rodulfi de Diceto *Abbreviationes Chronicorum*, p. 9, Rer. brit. m. æ. SS., LXVIII, t. I.

2. Theodulfi *Carmina*, LXXI, ad Aiulfum episc., v. 45 : « [Es] primæ prælatus sedis », M. G. H., Poetarum Latinarum m. ævi t. I[1], p. 560, sq. — Ex *Vita S. Desiderati episc. Bitur.* auctore (?) abbate Bobiensi : « Quum [S. Desideratus] in sede prima Aquitaniæ aliquamdiu resedisset », H. Fr., t. III, p. 444. — Desiderii *episc. Cadurcensis ep. ad Sulpicium Bituric. archiep.* : « Condecet primæ sedis antistitem... », M. G. H., Epist. t. III, p. 200. — Ex *Vita S. Sulpicii II, episc. Bituric.*, auctore Monacho Sulpiciano fere coævo, ad. a. 624 : « et ita, Domino procurante, episcopalis apicis meruit primam Aquitaniæ sedem », H. Fr., t. III, p. 510. — Carlomanni Regis *Diploma*, a° 882 : « Rodulphus (Bituric.) primæ sedis archiepiscopus », H. Fr., t. IX, p. 426 ; cf. G. C., instr., col. 3. — Gallia Christiana, t. II, p. 34, lit. A : Adacius « primæ sedis... archiepiscopus » ; cf. Mabille, *La Pancarte noire*, Paris, 1866, 8°, p. 109 sq., et Baluze, *Armoises*, Paris, nation. biblioth., t. LXXVI, f. 258. — Ex *Translatione S. Genulfi Episcopi*, auctore anonymo qui sæculo XI° scribebat : [Bituric. comes, Wifredus], « suis temporibus clarissimus, usus honoribus, utpote primæ capitis Aquitaniæ comes », H. Fr., t. VI, p. 330.

Haud vero plurimum interest inter « primam » et « primatialem » sedem. Nonne primatum obtinere debebat episcopus qui jam primarius dicebatur? aiebant clerici, tum quum per alteram partem IX[i] sæculi falsa Capitula et Decretales quæ nunc « Pseudo-Isidorianæ » vocantur divulgaverunt[1], tum quum post trecentos annos, i. e. XII° sæculo, romani pontifices ipsi summos gradus clericalium honorum, a primatia usque ad episcopatum, definire conati sunt[2]. Quorum sententiam secuti sunt recentioris ætatis historici. Jam a° 1608 scribebat Bertier[3] : « Quum Biturigum civitas primæ sit

1. BENEDICTI LEVITÆ *Capitularium* lib. III, c. 439 : « Nulli alii metropolitani appellentur primates, nisi illi qui primas sedes tenent.... Reliqui vero qui alias metropolitanas sedes sunt adepti, non primates, sed metropolitani vocentur. » Adde lib. III, tit. c. 460 (ap. BALUZIUM, *Capitularia regum francorum*, Parisiis, 1780, 2 vol. f°, t. I, col. 1122 et 1127) necnon ANGILRAMNI *Capit.* 22 i. pr. et ISIDORI MERCATORIS *Collect.*, Anacl. 29, Ann. 3, Steph. II pp. 9 (apud PAULUM HINSCHIUS, *Decretales Pseudo-Isidorianæ*, p. 762, sq., p. 82, 121, 185). E contra vide BEN. LEV., III, 29 : « Ut primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid hujuscemodi, sed tantum primæ sedis episcopus. » (BALUZ. t. I, col. 1035), ANGILR. c. 22 (HINSCH., p. 762, sq.).

2. Exempli gratia, concilio Remis a° 1148 habito, « Albero Treverensis archiepiscopus vindicavit Remensem, asserens ex eo ius suum in expedito esse, quod non modo in antiquis hystoriis, sed etiam in canonibus romanorum pontificum reperitur, quod Treveres Belgica prima est, Remis autem Belgica secunda.... Archiepiscopus... Lugdunensis ecclesie [Lugdunensis prov. I[a]] que sicut apud veteres hystoricos legitur prima Galliarum sedis est, protestatus est Rothomagensem [Lugd. prov. II], Senonensem [Lugd. prov. IV] et Turonensem [Lugd. prov. III] archiepiscopos et provincias eorum sibi et ecclesie sue iure debere primatus esse subiectos... ». JOHAN. SARESBER. *Histor. pontificalis* cap. 1, M. G. H., SS., t. XX, p. 518.

3. BERTIER SEIGNEUR DE MONTRATE, *Pithanon, diatribæ duæ quibus civilis imperii Romani notitia et ecclesiæ politia illustrantur*, Tolosæ, 1608, 4°, p. 206, sqq.

Aquitanicæ metropolis, haud iniquum etiam videatur ut Aquitaniæ secundæ et Novempopulaniæ, quæ tertia Aquitania est, metropolitani Bituricensem primatum suum suscipiant. » Similiter exposuerunt Bituricensis primatiæ originem et Vinet, a° 1565[1], Chenu, a° 1603[2], Zinzerling, a° 1616[3], et Labbe, a° 1647[4]. « Primatum origo, aiebat a° 1648 Hauteserre[5], vir eruditissimus et auctoritate gravis, repetenda est ex divisione et sectione provinciarum... primæ provinciæ metropolitanus primus erat reliquarum ejusdem nominis et thematis provinciarum. »

Sane objiciebat Marca, a° 1643[6], provincias nunquam ita inter se ordinatas fuisse, ut aliæ aliis potiores essent. « Plane si de dignitate illarum agitur, aiebat, dubium non est quin aliquæ cæteris præcellerent, vel ob civitatum splendorem, et frequentiam, vel ob imperii in cujus finibus positæ erant incolumitatem. » Sed « nullum jus competebat provinciis quæ primæ dicebantur in secundas », neque in ordine civili, neque in ordine ecclesiastico.

Quamvis argumenta Petri de Marca — quæ postea La Brousse a° 1657[7], Lopès, a° 1668[8] et Dom De-

1. Élie Vinet, *L'antiquité de Bordeaux et de Bourg-sur-Mer,* présentée au roi Charles IX le 13-4 1565; 1565, 4°; ed. IIa, 1574, 4°, § 9; ed. IIIa pp. Ribadieu, Bordeaux, 1860, 8°.

2. Op. cit., ed. IIa, p. 69, sq.

3. [Zinzerling] *Jodoci Sinceri Itinerarium Galliæ,* cum appendice de Burdegala, Lugduni, 1616, in-16, p. 117, sq.

4. *Hist. du Berry abrégée,* 1re partie, § 9, 2e partie, § 1.

5. *Rerum aquitanicarum* lib. IV, cap. 4 (t. I. p. 244, sq.).

6. Op. cit., ed. 1669, p. 195, § 84.

7. Op. cit., vide præsertim. cap. IX, XI.

8. Hierosme Lopès, *L'Église métropolitaine et primatiale Sainct-*

vienne a° 1771[1] iteraverunt — firmissima videantur, haud errat Hauteserre. Nam, ut primum archiepiscopi taliter inter se constituti fuerunt, ut alii ab aliis penderent, rationem ab Hauteserre notatam præbuit « Notitia » Bituricensibus prælatis. Sed, V° sæculo, quum archiepiscopalis dignitas nondum definiebatur, quæstio moveri non potuisset de jure primatiali quodam e « Notitia » extorquendo. Testis est iterum Arelatensis archiepiscopus, qui, quamvis metropolitanam dignitatem repugnante « Notitia » adeptus sit, tamen a summo romano pontifice legatus, vel apostolicus vicarius nominatus est, tali modo ut quinquaginta per annos, scilicet ab a° 417 p. C. usque ad a. 468 vel circiter[2], magistratum velut primatialem in Gallicana Ecclesia habuerit.

Attamen, ut ad conclusionem veniamus, « Notitia » quæ simul episcopos jam designat et archiepiscopos præsentit, ut ita dicam, ecclesiasticarum primatiarum quoque fons et origo nobis habenda est.

André de Bourdeaux, où il est traité de la noblesse, droits, honneurs et prééminences de cette église, avec l'histoire de ses archevêques et le pouillé des bénéfices du diocèse. 1re éd., Bordeaux, 1668, 4°; 2e éd. p. p. Callen, Bordeaux, 1882-84, 2 vol. 8°, t. I, p. 264, sq.

1. Op. cit., t. II, p. 361, sq.

2. Duchesne, *La Primatie d'Arles,* §§ 2-5.

CAPUT II

DE STATU BITURICENSIS SEDIS IN IMPERIO MEROVINGICO

§ 1.

Romano imperio destructo, Wisigothi, qui jam consederant in Burdegalensi, usque in Aquitaniam primam progressi sunt, ita ut a° 475 p. C. dicionis fines dilataverint ab Oceano usque ad Ligerim Rhodanumque flumina et ad mare quod Mediterraneum dicitur [1]. In regno eorum caput erat Tolosa [2] et celeberrimæ metropolitanæ civitates Turones Arelatumque [3].

Magno imperii wisigothici concilio [4] Agathæ a° 506 p. C. congregato, præfuit patribus Arelatensis archiepiscopus, necnon subscripserunt Aquitaniæ metropolitani episcopi ordine sequenti [5] : « Cyprianus episcopus de Burdigala metropoli, s.; Clarus episcopus de civitate

1. Longnon, *Géographie de la Gaule au VIe siècle,* Paris, 1878, 8°, p. 45.

2. Id., *ibid.*, p. 52.

3. Malnory, *St Césaire, évêque d'Arles* (Bibliothèque de l'École des Hautes Études, sciences historiques; fasc. 103), Paris, 1894, 8°, p. 65.

4. « Grand concile de la Gaule wisigothique. » (Duchesne, *La Primatie d'Arles*, p. 223 ; Malnory, *St Césaire,* p. 50).

5. Sirmondi *Concilia Galliæ antiqua*, Paris, 1629, 3 vol. f°, t. I, p. 173, sq..

Elusa metropoli, s.; Tetradius episcopus de Biturica metropoli, s. ». In subscriptione, primum obtinebat Cyprianus locum sine dubio quia firma societate cum Arelatensi archiepiscopo devinciebatur[1]; contra difficile dictu est quænam sit causa cur Clarus super Tetradium Bituricensem collocaretur.

Ex his vero concluditur nullam præcellentiam politicam vel ecclesiasticam Bituricensi sedi in regno wisigothico tributam esse.

§ 2.

Parta in campo Vocladensi victoria, aº 507, Franci Aquitaniam occupaverunt. Non ignoras merovingicos principes regna sua sæpe divisisse delimitationesque præsertim multiplicavisse in Aquitania. Habebant, ait Longnon, « la région d'outre-Loire comme un domaine dont chaque roi désirait avoir sa part, surtout sans doute à cause de ses vignobles fameux[2] », tali modo ut Bituricensis civitas ab alio ad aliud regnum velut sorte transferretur. Notat Leroux[3] « qu'à trois reprises (506, 545 et 594), une portion de l'Aquitaine confondit ses destinées politiques avec celles de Bourges », additque : « l'on put escompter dans cette ville un retour au passé. » Fatetur autem ipse levem duxisse conjecturam : « Il n'en fut pas tout à fait ainsi. »

---

1. Malnory, *St Césaire*, p. 48-50.
2. Longnon, *Géographie de la Gaule au VIe siècle*, p. 90.
3. Leroux, *La Primatie de Bourges*, p. 4.

Quis sit locus Bituricensis sedis in ecclesiastica hierarchia facilius nunc explanabitur. Episcopale nomen jamdudum sibi adsciverant Bituricenses pontifices, et, quum scripto subscriptionem apponebant solemniter, ut, exempli gratia, in actis conciliorum, episcopos se profiteri solebant. Testimonio sunt subscriptiones omnes conciliorum ævi merovingici[1]. Aliis quoque titulis utebantur Bituricenses episcopi : quippe qui semetipsos « pontifices », « præsules », « antistites », « sacerdotes » esse dicerent : episcopalem vero dignitatem his cognominibus semper subjiciebant.

Attamen Bituricensis sedes metropolitana quoque erat. Hoc in loco, definitio quædam necessaria nobis videtur. « En Gaule, ait Duchesne, le système métropolitain s'introduisit vers la fin du IVe siècle ou au commencement du siècle suivant[2]. » Addit vero Fustel de Coulanges : « Le titre d'archevêque ne fut usité en Gaule qu'à partir de la fin du VIIe siècle[3]. » Verbis quidem discrepant, sententia autem congruunt Duchesne et Fustel de Coulanges.

Nobis enim notandum est metropolitanum titulum non tam ad episcopum ipsum quam ad episcopalem sedem primum adhibitum esse. E metropolitano paulatim ortus est archiepiscopus. Unde consequitur archiepiscopum principio metropolitanæ civitatis episcopum fuisse. Sic, a° 511, Bituricensis prælatus ut

1. M. G. H., 4°, Legum sectio III, t. I, Maassen *Concilia ævi merovingici.*

2. *Origines du culte chrétien,* Paris, 1889, 8°, p. 31 ; *Fastes,* t. I, p. 89, sq.

3. *La Monarchie franque,* p. 513.

« episc. eccl. Beturive metropolis » actis Aurelianensis concilii subscribebat[1].

Coacto concilio, primum locum obtinebant metropolitani. Sed, quemadmodum titulo inter se coæquabantur episcopi, sic inter metropolitanos nullus dignitate secundus videbatur. In ecclesiastica hierarchia duo tantum gradus agnoscebantur, episcopis sane cum episcopis et metropolitanis cum metropolitanis æquo et pari jure fruentibus. Quum consedebant, et actis concilii subscribebant, ordinem certe agnoscebant quemdam, qui, quamvis aliquando difficile notu sit temporibus nostris[2], nominum consequentia a librariis medii ævi nonnunquam perversa, multis causis, ut ætate episcoporum, provincia in qua concilium habebatur, favore quo Patres apud regem valerent, etc., componebatur. Inter pares suos tum priores tum vero posteriores partes tenebat Bituricensis archiepiscopus. Hac in instabilitate multum vero abest ut norma desit. Quemadmodum enim archiepiscopi episcopis antecellebant metropolitana dignitate *sedis,* sic inter archiepiscopos ipsos, alii aliis *personali* dignitate præstabant.

Quod si contendas normam nostram non sine aberrationibus quibusdam servatam esse, tibi saltem agnoscendum est nullam in partem « Notitiam » apud archiepiscopos valuisse, quum ordines sessionum subscriptionumque inter se componebant. Neque enim Aquitaniæ I^æ^ metropolitanus, metropolitanum II^æ^

1. Secundum codic. IX sæc. ; Maassen, p. 10. Cf., p. 164, procem. Concil. Matisconensis, a° 585.

2. Cf. Duchesne, in *Mélanges Graux* (Paris, 1883, 8°), p. 133, sq.

Aquitaniæ prægredi solebat; neque Novempopulaniæ vel IIIæ Aquitaniæ metropolitanus Aquitaniæ IIæ metropolitano priorem locum ex consuetudine cedebat. Quod satis edocet subsequens tabella[1]:

ORDO *Subscriptionum.* I.	II.	III.	CONCIL. / Ais	Aurel[1]. 511	Aurel. 533	Aurel[1]. 541	Aurel. 549	Paris. 552	Paris. 556/73	Paris. 573	Matisc. 585	Paris. 614	Clipp. 626/7	Rem. 627/30	Burd. 663/75	*Summa.*
Bit. .	Burd.	Elus. .	. . . .	»	»	»	»	»	»	»	»	—	»	»	—	2
Bit. .	Burd.	. . .	. . . .	»	»	»	»	—	—	»	»	»	»	»	»	2
Bit. .	Elus. .	. . .	. . . .	»	—	»	—	»	»	»	»	»	—	—	»	4
Burd.	Bit. .	. . .	. . . .	»	»	»	»	»	»	»	—	»	»	»	»	1
Burd.	Elus. .	. . .	. . . .	»	»	—	»	»	»	»	»	»	»	»	»	1
Burd.	Bit. .	Elus. .	. . . .	—	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	1
Elus. .	Bit. .	. . .	. . . .	»	»	»	»	»	»	—	»	»	»	»	»	1

1. Variæ quidem sunt lectiones in codicibus.

Constat igitur Bituricenses archiepiscopos nulla speciali prærogativa inter cæteros metropolitanos per id tempus potitos esse. Alio vero modo interpretantur nonnulli historici eventus quosdam, de quibus nobis non tacendum est.

§ 3.

Narrant primum Bituricensem provinciam magna finium propagatione auctam esse. Victis enim Wisigothis, distracta est Narbonensis provincia in duas

1. Maassen, *Conc. ævi merov.*, p. 9-12, 64, 96-99, 108-112, 117, 145, sq., 148, sq., 160, sq., 190-192, 200, sq., 203, 215, sq.

partes. Quum Wisigothi Septimaniam Narbonensemque civitatem possidebant (ab a° 507 usque ad a. 737), tenebant Franci et Tolosanam civitatem, et partem Nemausensis civitatis, quæ, postquam episcopus in Arisitensi civitate collocatus est, diœcesis jure ac nomine insigniebatur.

Non dubitari debet quin Arisitensis civitas Bituricensi provinciæ attributa fuerit[1], donec Narbonensi provinciæ rursus adjungeretur. Quod evenit quum primum Franci Septimaniam, tunc Gothiam nuncupatam, bello quæsiverunt, et ita totam Narbonensem provinciam in dicionem suam redegerunt.

De Tolosana vero civitate sic locutus est dom Vaissette : « Les évêques de Toulouse, qui dépendaient auparavant de la métropole de Narbonne, furent soumis, depuis la conquête que Clovis fit de cette ville jusqu'au VIIIe siècle, à celui de Bourges[2]... La ville de Toulouse fit donc partie de l'Aquitaine depuis ce temps-là. » Quem locum Longnon de « Histoire de Languedoc » in opus quod « Géographie de la Gaule au VIe siècle » inscribitur, verbis accurate servatis, transtulit[3]. Cum Vaissette consentit Duchesne[4] et, eorum senten-

1. Longnon, *Géogr. de la Gaule au VIe siècle*, p. 187.

2. Addit Vaissette : « Car c'était alors un usage établi : lorsqu'un prince avait conquis une ville épiscopale soumise à un métropolitain étranger, il la faisait passer sous la dépendance d'un métropolitain de ses États, et ordinairement le plus voisin. Les princes en usaient ainsi dans la vue de n'admettre dans les conciles, qui étaient fréquents dans ces siècles, que les seuls évêques de leur domination, ce qui sert beaucoup à distinguer les limites de leurs États. » (*Histoire de Languedoc,* ed. II^a, t. I, p. 554.)

3. Pag. 186.

4. *Fastes,* t. I, p. 229, sqq.

tiam exaggerans erroribusque deformans, scribit denique Bladé[1] : « Il est démontré que depuis la conquête de cette ville [Toulouse] par Clovis Ier, ses prélats étaient passés sous la suprématie des archevêques de Bourges et retournés au IXe siècle ou au commencement du Xe sous la juridiction des métropolitains de Narbonne. »

Quamvis Vaissette, Longnon et Bladé historici sint auctoritate graves, non tam ἐπιδεικτική quam ὑποθετική, ut aiunt Græci, nobis videtur eorum doctrina. Quantum comperire possumus e raris merovingicæ ætatis monumentis, constat Bituricensem archiepiscopum jurisdictionem ecclesiasticam suam in Tolosana civitate nunquam exercuisse.

Quod si ecclesiastica subordinatio e politica subordinatione regulariter colligenda esset, sunt tamen quæ dubitationi locum dant. Nam, si modo tabulis historico-geographicis a Longnon ipso delineatis[2] fidem adjunges, accipies Tolosanam civitatem fere semper adscriptam esse, VI° sæculo, regnis quibus Burdegala (nec Biturica) quoque attribuebatur, atque, VII° sæculo, regnis quæ Burdegalam simul et Bituricam continebant. Excepto quod Tolosana civitas collocata est primum annis 545 et 571 in regnis quæ nec Bituricam nec Burdegalam simul habebant, deinde ab a° 600 usque ad a. 613 in regno quod Bituricensem (nec Burdegalensem) civitatem comprehendebat, manifestum

1. *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1894, p. 170, § 13.

2. *Atlas historique de la France*, Paris, 1885, sqq., f°, tab. 3 et 4.

igitur est Burdegalam potius quam Bituricam ejusdem dicionis participem fuisse politicæ ac Tolosam. Nec mirum : distat enim Tolosa plus a Biturica quam a Burdegala. Huc adde quod quemadmodum Bituricensis provincia Arisitensi civitate aucta fuit, haud incredibile videtur simili modo Burdegalenses archiepiscopos metropolitana jura sua in Tolosanam civitatem extendere conatos esse. Cæterum, ait Longnon ipse[1] : « On ne sait pas d'une manière certaine à quels rois cette ville [Toulouse] obéit pendant la plus grande partie du VIe siècle... Les souscriptions aux conciles ne nous apprennent presque rien des vicissitudes politiques de Toulouse au cours du VIe siècle. »

Fatendum tamen est non abhorrere a natura rerum quin Tolosana civitas Bituricensi provinciæ adscripta fuerit. Imo, si ita res se non haberet, et Tolosanus episcopus vel αὐτοκέφαλος permansisset, vel Burdegalensi archiepiscopo aliquando obedientiam præbuisset, sibi cogitatione fingere potuerunt in medio ævo posteri Tolosanum episcopum quodam modo Bituricensi archiepiscopo obnoxium fuisse, ita ut, quæcumque fuerit Tolosanæ civitatis historia in merovingico imperio, tamen omni modo argumenta ministraret Bituricensis primatiæ fautoribus. Videbantur enim, jam IX° sæculo, I^æ Aquitaniæ episcopi in Narbonensem I^am provinciam[2] Tolosanamque civitatem primatialia jura quædam contendisse.

1. *Géogr. de la Gaule au VIe siècle,* p. 534 et 535.

2. Cf. infra, cap. IV.

§ 4.

In biographia sua patriarchali titulo decoratus est quondam Bituricensis episcopus, hisce scilicet verbis : « Interea rex Childebertus ecclesiarum præsules jussit apud urbem Aurelianensem, ob quintam synodum illic celebrandam convenire..., a° 552 ; ubi S. Patriarcha Desideratus cum concilio quadraginta quatuor venerabilium episcoporum anathematizavit et condemnavit nefariam sectam Eutychetis & Nestorii [1]. »

Quamquam auctor anonymus biographiæ errat, quum ad a. 552 transfert V^um^ Aurelianense concilium, a° 549 habitum, certum quidem est Desideratum acta concilii subscripsisse. Verum episcopali nec patriarchali titulo usus est. « Tantum abest, inquit Cointius [2], ut negemus Desideratum Bituricensem antistitem synodo Aurelianensi quintæ præsentem adfuisse ; quin lubenter affirmamus hoc unum in ejus vita legi, quod indubitato testimonio aliunde confirmari possit [3]. »

Nam, « si pauca excipias quæ ibi leguntur de quinta synodo Aurelianensi cui Desideratus subscripsit, vix quicquam occurrit quod ex gestis S. Audoeni Rotom. episc. (642-683) desumtum, et ad Desideratum antisti-

1. H. Fr., t. III, p. 445.

2. *Annales ecclesiastici Francorum,* [417-845], Parisiis, 1665-1683, 8 vol. f° : ad a. 549, § 100, p. 766 ; § 70, p. 754 ; § 87, p. 763.

3. Vide *Acta concilii Aurelian.* ap. Maassen, p. 101 : c. I « Nefariam sectam [Eutychetis et Nestorii]... anathematizamus atque damnamus... », et p. 109 : subcript. Desiderati « in Christi nomine episc. eccl. Beturivæ ».

tem Bituric. per insignem authoris malitiam qui lectorem decipere voluit, translatum non videatur ». Confert deinde Cointius vitam S. Desiderati, ab « abbate Boviensi » scriptam, cum Fredegodi diaconi vita S. Audoeni (A. SS., Aug. IV, p. 794, sqq.); argumentumque suum hoc modo colligit : « Utramque scriptionem jam conferamus ut melius intelligas non a Boviensi abbate Fredegodum diaconum, sed a Fredegodo diacono mutuatum esse, si tamen gesta S. Desiderati concinnata sunt ab abbate Boviensi, non autem ab authore neoterico, qui, cum sciret in monasterio Bobiensi viros eruditione præstantissimos olim floruisse, titulum abbatis Bobiensis, corrupte Boviensis, assumpsit, ut operi suo majorem fidem conciliaret. » Nonne enim mirandum videtur vitam Bituricensis episcopi cujusdam, qui gloriam singularem nullo modo adeptus est, ab Italiensi abbate scriptam esse [1] ?

Necnon suspicionem excitat de fide pseudo-abbatis Boviensis Vernier qui vitam S. Desiderati in opus suum, « Patriarchium Bituricense » inscriptum, transtulit « juxta vetus exemplar, mendis fideliter euderatis [2] ». Etiamsi Vernier Bituricensis primatiæ fervidus fautor non esset, quum documenta sua in archiepiscopali archivo reperiret, vix dubitandum videtur quin codex vitæ S. Desiderati quo usus est a Bituricensi

1. Contendunt quidem Bollandiani vocabulum *Boviensis* nobis *Buliensis* (i. e. *du Beuil*, in Lemovic. diœc.) legendum esse (A. SS., Maii, t. II, p. 303). Ni fallor, falsarius noster personam usurpavit abbatis Bobiensis qui in vita S. Eustasii, de Bituricensi pago, VII° sæc., locutus est (H. Fr., t. III, p. 501).

2. Cap. XXIII, in t. II Labbei, *Nova Bibl. mss.*, p. 26 (24)-28.

scriptore quodam conditus sit. Quapropter, seu a Vernier, seu a Bituricensi quodam scriptore fraude concepta, et quamvis codex vitæ S. Desiderati nunc amissus sit, tali modo ut ætatem ejus ignoremus, tamen contendere ausimus patriarchalem titulum quo S. Desideratus a Pseudo-Abbate Boviensi decoratus est nullum historicum argumentum præbere defensoribus Bituricensis primatiæ, quinimo a defensoribus ipsis Bituricensis primatiæ dolo malo verisimiliter fictum esse.

§ 5.

Sunt vero casus duo qui, quamquam falsa interpretatione aliquando accommodabantur ut Bituricensis primatiæ antiquitas demonstraretur, tamen supradictis dissimiles in eo videntur quod, certissimis monumentis traditi, fidem merentur quamdam.

A° 630 rex Dagobertus I, ad S. Sulpicium II Bituricensem archiepiscopum, verbis usus est hisce[1] : « Proinde dum vos archimetropolitani scimus tenere locum, præsentes apices cum debito salutationis officio almitati vestræ studuimus destinare. »

Inter historicos constat Dagoberti epistolam genuinam esse[2]. Codex vero Moissiacensis (nunc Paris., lat.

---

1. H. Fr., t. III, p. 530. Ex *Vita Desiderii Cadurcensis episcopi,* scripta ab anonymo fere coætaneo, cap. 8 : indiculus Dagoberti regis ad Dominum Sulpicium episcopum. Cf. G. C., t. II, col. 17.

2. Vide *Dissertationem* Joh. Mabillonii, ap. H. Fr., t. III, p. 713, col. 2 et Br. Krusch, in *Forschungen zur d. G.,* XXII (1882), p. 466-468.

17002, f° 210, r°) variam præbet lectionem, scilicet : « dum vos *arcem metropolitani* scimus tenere (*locum* deest). » Quæ lectio non sine auctoritate nobis esse videtur, non solum quia cum continuatione verborum convenit, quum naturali congruant affinitate vocabula « arcem » et « apices[1] », verum etiam quia corroboratur commentario anonymi scriptoris qui nobis epistolam servavit. « Itaque, ait enim ille, regis promulgata sententia... dataque, ut supra dictum est, authoritate ad Sulpitium Bituricæ urbis episcopum, qui *metropolitanus* dignoscebatur... » Neque errat anonymus noster in commentario suo. Pro certo habeamus Dagobertum Sulpicio ut archiepiscopo metropolitanove (neque ut archimetropolitano primative) litteras misisse quum commendaret ei Desiderium qui Cadurcensem sedem petebat. Non enim ignoras Cadurcum Bituricæ suffraganeum esse. In eodem codice Moissiacensi reperitur, ut Baluzius observavit[2], S. Theodardi Narbonensis archiepiscopi (885-893) vita, cujus auctor anonymus[3], mirabile dictu, quater verbo *arce* utitur[4], Catel vero

1. Necnon, paulo supra, in epistola Dagoberti, « episcopale culmen », « regiam celsitudinem ».

2. *Capitularia,* t. II, col. 1020. Cf. Cod. Paris. lat. 17002, f. 253 et 256.

3. Inferioris quidem ætatis, sed qui antiquissimæ relationis notitiam habebat. Cf. H. Fr., t. IX, p. 115, n. A.

4. Cap. III, § 17 : « ad suscipiendam diaconatus ἀρχήν » ; ibid. : « ex eo tempore quo diaconatus ἀρχήν suscepit » ; § 22 : « ἀρχήν regiminis » [metropolitanæ provinciæ] ; cap. IV, § 42 : « ut omnis qui pontificatus illius [Tarraconensis Ecclesiæ] arcem sortitus erit electione ». Cf. Ducange, *Gloss.,* s. v. *arce* et *archimetropolitanus.*

et Bollandiani[1], quum Theodardi vitam exscripserunt, ἀρχήν fere semper reposuerunt pro *arce*. Quid multa ? Nonne tibi vocabulum « *archimetropolitanum* » falsa lectio pro verbis *arcem* seu ἀρχήν *metropolitani* videtur ? Aut certe, suspicio subest aliqua, quæ nobis non omittenda videtur.

Sed, si forte verbum archimetropolitani authenticum esset, quamvis insolitum sit nec usquam, quod sciamus, inveniatur in usu, primatiam quamdam Bituricensis sedis tempore Dagoberti I regis declararet. Si minus, seu consulto seu fortuito fictum esset, argumentum præbere potuit, utrocumque modo, Bituricensis primatiæ fautoribus. Inde fit ut, verum falsum, in Bituricensis primatiæ originum historia haud minimi momenti nobis putandum sit.

§ 6.

Inter annos 629 et 644, vel, ut tempora accuratius indicemus, inter annos 630 et 642, Desiderius Cadurcensis episcopus, quum metropolitano suo Sulpicio Bituricensi scriberet, hujuscemodi verba habuit[2] : « Sancto Patriarchæ Sulpicio, Desiderius servus servorum Dei. Condecet primæ sedis antistitem, ut sol-

---

1. Catel, *Mémoires de l'histoire du Languedoc,* Toulouse, 1633, f°, p. 757, 759, 765, sq. (Ex codice Tolos. Eccl. S. Steph., nunc amisso, ut videtur : Molinier, in *Catal. général des mss. des Bibl.,* t. VII, Paris, 1885, 4°, p. XV, sq.). AA. SS., 1 Maii, p. 147, 148, 152 (Ex cod. 477 Bibl. Tolos. ; Molinier, p. 274).

2. Desiderii Cadurcensis episc. *Epist.* lib. 1, ep. 10, M. G. H., Epist., t. III, p. 200.

lers circa eum consacerdotem exhibeatur sollicitudo, ut, dum vicissim iura caritatis glutinantur, facilius deitatis consorcio interesse mereantur... Quapropter, papa beatissime, vestra sit elaboratio ut pertinatia, quæ plerumque inter fratres serpit, vestro libramine radicitus evelatur... Memento mei, papa beatissime, et cultoris tui merita orationibus fove. »

Quamquam Labbe, a° 1647 [1], et Catherinot, a° 1681 [2], Desiderii epistolam ut indubitatum Bituricensis primatiæ testimonium afferunt, conticescunt et Marca, et Thomassin, et cæteri primæ sedis Aquitaniæ fautores. Non quidem sine causa.

Nam in epistola sua Desiderius Cadurcensis, quum precibus Sulpicii Bituricensis metropolitani episcopi sui se commendet, blanditias dicit et verbis utitur ingentibus. Ab eo vocatur Sulpicius non patriarcha solum, et primæ sedis antistes, verum etiam papa. Quinimo Desiderius ipse cognomen servum servorum Dei sibi deligit, non aliter atque in posterum summi romani pontifices [3]. Ex his sane non colligitur Sulpicium Bituricensem, simul ac Desiderium Cadurcensem romanos papas fuisse. Nihil igitur habent quod aut definitum sit aut certum, immodica et quasi exaggerata Desiderii verba. Incerta fit oratio quæ turget. Cæterum, quamquam — quantum vero conjectura consequi possumus — per litteras Desiderius cum Sulpicio sæpius collocutus est, epistola de qua nunc agitur, ex omni-

1. *Hist. du Berry abrégée,* 2e partie, § 1 (éd. 1840, p. 18).

2. *Le Patriarcat de Bourges,* 2e partie, p. 6. THAUMAS, p. 273.

3. Vide BLADÉ, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux,* 1891, p. 48, § 14.

bus una est quæ superfuerit. Errat igitur Bladé qui scribit[1] : « Quand Didier écrit à son métropolitain de Bourges, il le traite toujours de patriarche. » Præterea, Desiderio modestior erat Sulpicius qui episcopali titulo[2] vel peccatoris[3] nomine se ornabat. Denique hoc adjice quod jam a° 1648 notabat Hauteserre qui tamen solebat primatialia jura Bituricensis sedis fovere : « Id ætatis, aiebat[4], metropolitani patriarcha nomine solebant designari », exemplaque citabat, quibus Ruinart[5] nova paulopost adjungebat, et quorum interpretationi Vaissette denique assentiebatur[6]. Sic, quum Desiderius Cadurcensis Sulpicium Bituricensem patriarchali nomine adornabat, non amplius quam metropolitanum eum declarabat.

§ 7.

Quam vero sententiam, quibuscumque argumentis fulta sit, nostris temporibus labefactare videntur eruditissimi historici. Notavit enim Duchesne patriarchalem titulum pæne semper Lugdunensibus episcopis, nec aliis adscriptum esse; imo, non procul abest quin

---

1. Ubi supra. — Cæterum Sulpicius a Desiderio nuncupatur quoque : « nec minus prædicabilis meritis ». (Desiderii ep., I, 10, p. 199.)

2. Sulpicii *Epist.*, in Desiderii episc. Cadurc. epist. lib. II, epist. 1. M. G. H., Epist. t. III, p. 203.

3. *Ibid.*, lib. II, ep. 5, p. 205.

4. *Rerum aquitanicarum* lib. IV, cap. 4 (t. I, p. 242, sq.).

5. Ap. H. Fr., t. II, p. 112.

6. *Hist. de Languedoc*, ed. II^{a}, t. II, p. 325.

agnoscat specialem jurisdictionem quamdam patriarchalis episcopi. « S'il y a, inquit[1], aux temps mérovingiens, un *primatus Galliarum*, c'est au siège de Lyon qu'il faut l'attribuer. » Ergo, si Duchesne credas, quod ad Lugdunensem episcopum attinet, nec laudativum et quasi superfluum, nec metropolitani synonymon esse videtur patriarchale nomen.

Cur ita non fieret quoque de Bituricensi episcopo ? Tanto quidem magis quod compertum habere debemus casum quem primus nuperrime, scilicet a° 1895, animadvertit Leroux. Operæ pretium est verba exscribere ejus[2] : « Qu'est-ce que l'Aquitaine aux environs de 629-644 ?... Un État, ou plutôt une région historique qui embrasse les provinces ecclésiastiques de Bourges et de Bordeaux, de la Loire aux Pyrénées. » Sulpicio litteras mittebat suas Desiderius « au lendemain, sinon au cours même de cet essai de constitution d'un royaume d'Aquitaine à Toulouse qu'avait tenté Dagobert en faveur de son frère Charibert[3] ». In tractu regni pro Chariberto constituti, primum obtinere locum debebat Biturica urbs, tam ecclesiastico quam politico ordine : « [Didier] demeuré plus que d'autres peut-être en contact avec les sources du droit ecclésiastique, voyait

1. *La Primatie d'Arles*, p. 230, sq. Cf. ejusdem, *Les Origines du culte chrétien*, p. 86, n. 1. « Vers la fin du VIe siècle, l'évêque de Lyon semble prétendre à une sorte de suprématie sur les évêques du royaume de Gontran. » Quam doctrinam jam deformat amplificatione quadam verborum Malnory, *S. Césaire*, p. 284 : « Le métropolitain de Lyon s'était substitué à l'ancien primat du Sud [d'Arles], avec le titre de patriarche dans le gouvernement extérieur de l'Église. »

2. *La Primatie de Bourges*, p. 7.

3. Id., *ibid.*, p. 8.

nettement par delà la réorganisation de Dioclétien une autre organisation plus ancienne [l'Aquitaine d'Auguste], dans laquelle Bourges était en effet la capitale politique de toute l'Aquitaine[1]. » In epistola Desiderii invenitur « une suggestion[2] », vel potissime « [une] constatation[3] », « [une] affirmation de la primatie de Bourges sur l'archevêché de Bordeaux et même sur l'évêché d'Eauze, à plus forte raison sur Toulouse qui, lui aussi, n'est qu'évêché[4]. »

Sic Leroux, omissis vero erroribus quibusdam parvulis, in quibus nihil opus est hoc loco commorari. Renovatur ergo ratio quam Bituricensis primatiæ fautores longo jam tempore non satis firmam existimaverant. Quamquam Leroux argumentatione sua rem e re ipsa false colligit, et demonstranda ut demonstrata ponit, nobis tamen expedit chronologicam intercipere notam a qua progressus est, ut ab initio rationis suæ.

Regnum quod Dagobertus I pro fratre suo Chariberto a° 628 constituit comprehendebat Aquitaniam III^am^, cum Elusatium civitate, Aquitaniam II^am^, cum Burdegalensi civitate, necnon majorem partem Aquitaniæ I^æ^, Bituricensi civitate vero excepta. Tolosa urbs regni caput erat[5]. Cæterum non bienne spatium transgressum est

1. *La Primatie de Bourges*, p. 8.

2. *Ibidem.*

3. Id., p. 9.

4. Id., p. 8.

5. Perroud, *Des Origines du premier duché d'Aquitaine*, Paris, 1881, 8°, p. 200-202 ; Beadé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1890, p. 404-411, § 51-53.

regnum quod « primum Aquitanicum » ab historicis aliquando appellatur. Nam Charibertus extremo 630 a° e vita concessit, necnon, paulo post Childericus filius ejus.

Nunc vero memento casuum quorumdam, de quibus jam supra disputavimus.

Si, ut fieri potest, Tolosana civitas I^{ae} Aquitaniæ provinciæ adscripta est, sequitur ut Bituricensis episcopus, quamvis extra fines regni resideret, metropolitanus evaderet episcopi civitatis quæ caput erat regni. Si, ut fieri potest, Dagobertus rex Sulpicium Bituricensem archimetropolitano titulo in litteris suis quondam decoravit, sequitur ut I^{ae} Aquitaniæ prælato præeminentiam quamdam super episcopis vel archiepiscopis novi regni agnosceret. Nam, primo, Dagobertus litteras Sulpicio mittebat suas a° 630, Chariberto probabiliter nondum mortuo; secundo, quum Charibertus non legitimo jure, i. e. sorte vel divisione, ut in usu erat inter merovingicos principes, sed regia concessione, tamquam « apanagium [1] » quoddam, regnum obtinuisset suum, non dubium est quin Dagoberti consilium esset custodiam in novo regno exercendi; tertio, licet arbitrari Desiderium epistolam scripsisse suam a° quoque 630; quarto denique, novimus patriarchalem titulum in aversis Gebennicorum montium auctoritatem quamdam Lugdunensi episcopo attulisse.

Quid multa? In summa, ad veritatem proxime videbimur accessisse, si concludemus quæstionem exstitisse, sive Bituricæ, apud Sulpicium episcopum, sive To-

---

1. Ut ait Longnon, *Atlas historique,* texte, p. 41, sq.

losæ, apud Charibertum regem, sive potius Parisiis, apud Dagobertum regem, num expediret patriarchalem (vel primatialem) præstantiam Bituricensi episcopo in Tolosano regno conferre, qua munitus Dagobertus, cui Sulpicius devotus erat, auctoritatem in Charibertum reservaret suam.

Sic, quamvis rationem nostram alio filo ac Leroux contexuerimus, tamen simili modo concludimus. Non exploratius quidem : conjecturis enim conjecturæ opponuntur. Si revera Bituricensi episcopo merovingica ætate primatialis quædam dignitas mandata est, fatendum nobis est monumenta ejus dubia et quasi infirma ad probandum hodie videri.

§ 8.

Per alteram partem VII[i] sæculi, regnantibus regibus desidiosis, qui nostra gallica lingua « fainéants » dicuntur, Aquitania libertatem denuo recuperavit. Ab a° 638, quo interiit Dagobertus I rex, ad a. 769, gubernata est a ducibus qui in tota regione, necnon in Tolosana civitate, auctoritatem paulatim propagaverunt. Quinimo imperio subjecerunt suo, c. a. 670, veterem Novempopulaniam (tunc Wasconiam dictam), in qua ducalis domus indigena regnum exercebat jam ab a° 602 [1].

1. Si quidem fidem habeamus novissimo Aquitaniæ historicorum : Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1890, p. 363-370 ; 1891, p. 51-61.

De causis et modis tantæ rerum mutationis qua Aquitani, a ducibus suis ducti, merovingicum jugum excusserunt, est inter historicos controversia magna. A° 1836, Fauriel qui, ut magister ejus Augustin Thierry, e perpetuo certamine populorum, vel potius humanorum generum inter se, causas historicarum rerum elicere conabatur, contendebat Aquitanos, ἐθνικῷ odio impulsos, Francos superavisse[1]. E contra, Rabanis, a° 1841, ostendit neque primum Aquitanicum regnum « nationem » constituisse, neque Aquitanicam ducalem domum ἐθνικῇ stirpe ortam esse[2]. Cui doctrinæ assentiens, scribebat a° 1875 Fustel de Coulanges : « Au VIIe siècle, les mots Burgondie, Aquitaine, France, désignaient des territoires et non des races[3]. » Attamen a° 1877 Drapeyron tentabat interpretationem rerum renovare, quam Fauriel primus proposuerat[4]; quocum consentiebat Perroud qui, non sine subtilibus argumentis, asserebat a° 1881 Aquitanicum ducatum originem duxisse a natione Wasconica, quæ feroces ad bellandum habebat viros[5]. Quod in præsenti negant Chamard[6]

1. Fauriel, *Histoire de la Gaule méridionale sous la domination des conquérants germains,* Paris, 1836, 4 vol. 8°.

2. Rabanis, *Essai historique et critique sur les Mérovingiens d'Aquitaine et la Charte d'Alaon,* ed. Ia, 1841, ed. IIa, 1856.

3. Fustel de Coulanges, *Histoire des institutions politiques de l'ancienne France,* ed. Ia, t. 1, p. 476.

4. Drapeyron, *Essai sur le caractère de la lutte de l'Aquitaine et de l'Austrasie sous les Mérovingiens et les Carolingiens.* (Extrait du *Compte rendu de l'Académie des sciences morales et politiques*), Paris, 1877, 8°.

5. Op. supra. cit., *Des Origines du premier duché d'Aquitaine.*

6. « Article », in *Revue des questions historiques,* t. XXXV, 1884, p. 1-51.

et Bladé [1], quibus si credas, rerum causas omnes ad politicos casus revoces.

Quidquid id est, constat vero Ecclesiam tunc temporis parum floruisse. Rara fiunt concilia [2]. Sæpe vacant episcopales sedes. Contendit Drapeyron [3], qui secundum notitias « Galliæ christianæ » rationem Aquitanicorum episcoporum posuit, fere continuo vacasse plerasque sedes ab extremo VI° sæculo, per VII^{um} sæculum, usque ad VIII^{um}, quinetiam ad IX^{um} sæculum. Sane non tam multi defecere episcopi quam asserit Drapeyron : sæpe enim desunt episcopi in nostris hodiernis notitiis, quia documenta desunt [4]. Attamen non dubium est quin Ecclesia, cujus vita in historiarum libris Gregorii Turonensis VI° sæculo tam spectabilis nobis apparet, in angustiis versata sit VII°, sicut antea V° sæculo.

Acta concilii « de Modogarnomo Castro » (in pago Burdegalensi) dicti [5], et c. a. 663-675 habiti, nobis indicant non solum territorialem amplitudinem Aquitanici ducatus, quamquam desiderantur subscriptiones episcoporum quorumdam, inter quos mirum est Tolosanum

---

1. « Articles » in *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, Vide præsertim ad a. 1890, p. 87-112, 180, sqq.

2. Vide indicem conciliorum ap. Maassen, p. IX, sq.

3. *Essai sur le caractère de la lutte...*, p. 20 sqq. ; cf. p. 101, sq.

4. Ut optime animadvertit Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1890, p. 185-190 ; 1891, p. 133-141 ; *Annales du Midi*, 1892, p. 180-182.

5. Vide. *Histoire de Languedoc*, ed. II^{a}, t. II, Preuves, p. 40-42 (ad a. 670-73), et Maassen, p. 215, sq. (ad a. 663-75). Cf. Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1890, p. 164, 166 et 189 ; 1891, p. 50, sq., 133-141 ; *Annales du Midi*, 1892, p. 155.

prælatum, nescimus quam ob causam, nobis notandum esse, verum etiam, quod proposito nostro magni ponderis esse videtur, ecclesiasticum politicumque statum Bituricensis sedis. Subscripserunt enim Aquitaniæ metropolitani ordine sequenti : « Ado metropolitanus, Bituric. urbis episcopus; Johannes metropolitanus, Burdigal. urbis episcopus; Scupilio metropolitanus, Elosanæ urbis episcopus. » Ex quo colligitur Elusanam sedem, non a° 635, vel circiter, destructam esse, ut aiunt historici nonnulli. Si nunc concilium Agathense, de quo supra locuti sumus, cum Burdegalensi concilio conferes, agnosces eamdem esse rationem rerum post ducentos annos, eo solum excepto quod inter Aquitanicos metropolitanos Bituricensis episcopus qui tertius a° 506, primus a° 663/75 subscribebat, tali modo ut metropolitanus ordo « Notitiæ Galliarum » quasi restitutus evaderet. In Aquitania αὐτονόμῳ, seu wisigothica, seu ducali, Tolosa urbs primarium obtinet locum, et Bituricensis episcopus inter metropolitanos, ut par inter pares, subscribit, ita ut, quod ad eum attinet, merovingicum tempus finem initii plane similem habeat.

CAPUT III

DE STATU BITURICENSIS SEDIS IN CAROLINO IMPERIO

§ 1.

Ab extremo VIII° sæculo, quum principes domus quæ postea Carolina dicta est, Francicum imperium renovabant[1], casus quidam inciderunt, qui, tam politici quam ecclesiastici, Bituricensis primatiæ fautoribus argumenta nova afferre videbantur. Qui casus nobis considerandi sunt ordine chronologico, tribus scilicet temporis spatiis : usque ad regnum Caroli Magni; sub Carolo Magno, Ludovicoque Pio; denique post Ludovicum Pium.

§ 2.

Hæcce narrabat sub fine sæculi XIII[i] auctor anonymus opusculi « de Aquitania[2] » : « Pippinus autem, filius Karoli Martelli, videns Gaiferum ducem Aquitaniæ non consentire justitiæ ecclesiarum, ex parti-

---

1. Quod ad Aquitaniam pertinet, vide MABILLE, *Le Royaume d'Aquitaine et ses marches sous les Carlovingiens* (Extrait du tome II de la nouvelle édition de l'*Histoire générale du Languedoc*), Toulouse, 1870, 4°.

2. Ap. LABBE, *Nova biblioth. mss.*, t. II, p. 731 *bis*.

bus Francorum venit in Aquitaniam et cepit castella Borbon, Cautela, Clarmon, muros ejus destruxit. Inveni in chronicis Mosaicensis monasterii, quod, destructa Lemovica, Primatia Bituris et sedes ducatus Pictavis translata sunt, quamvis ordinatio ducis postea apud Lemovicam sit reducta. »

Manifestum est anonymum auctorem nostrum Lemovicensis civitatis amore flagrare. Cupit historicam gloriam maximam tribuere « Lemovicensi ecclesiæ, quæ est prima omnium ecclesiarum Galliæ[1] », quia ab apostolo ipso S. Martiale condita esse dicitur[2]. Attamen, quamvis medio ævo certamen aliquando fuerit inter Bituricenses Lemovicensesque de dignitate episcopalium ecclesiarum suarum, fatetur Lemovicensis anonymus Bituricensem primatiam usque ad tempora Pippini revocandam esse. Pertinet ad propositum nostrum quasi in transitu notare quantum antiqua sit communis doctrina de originibus Bituricensis primatiæ.

Sane, sæculo XVI°, Vernier Bituricensis, in libro historico qui « Patriarchium Bituricense » inscribitur, Lemovicensem anonymum jam reprehendebat. Argumenta vero ejus miraberis[3]. « Legitur, inquit, in quibusdam chronicis, quod, postquam idem Pipinus Aquitanos bello domuisset, Lemovicæ urbis muris funditus eversis, inde transtulerit ius Primatiæ ad

1. Verba quæ leguntur in actis concilii Lemovici, a° 1031 habiti, ap. Labbe, *Nova biblioth. mss.*, t. II, p. 766. Cf. H. Fr., t. XI, p. 504, n. a.

2. Cf. infra, § 10 et cap. VI, § 2.

3. Cap. XXXIII, ap. Labbe, *Nova biblioth. mss.*, t. II, p. 58 (56).

Bituriges; sed quia in authorum receptorum voluminibus nulla super hoc invalescit memoria, illud fabulæ ascripserim. Constat enim Bituricensem ecclesiam longe retro seculis super cæteras Aquitaniæ provinciæ ecclesias gessisse primatum. » Ita fit ut anonymi Lemovicensis errores quasi recondantur erroribus Vernier ipsius. Non operæ pretium est eos accurate et singillatim detegere. Haud dubium est quin pæne omnes colligantur de eo quod anonymus noster merovingicum et feodalem Aquitaniæ ducatum non segregaverit.

Ignoramus quænam sit auctoritas qua compererit Aquitanicam primatiam Lemovica Bituricam translatam esse. De hoc casu tacet Chronicon quod afferre videtur Moissiacense[1]; tacent quoque chronica quæ tamen multa supersunt, necnon miro modo congruunt, exceptis quidem parvis quibusdam momentis. Narrant ab a° 760 usque ad a. 768 Pippinum in Aquitaniam octies irruisse[2] : nempe a° 762 Bituricam « caput Aquitaniæ munitissimam urbem[3] » obsedisse et expugnavisse, Unibertum comitem et reliquos Aquitanos, quos in urbe reperisset, secum abduxisse, urbisque muros reparavisse. Annis denique 767-768, Nibelungus, qui Fredegarii chronica continuavit, et nobis

1. H. Fr., t. V, vel M. G. H., SS., t. I.

2. H. Fr., t. V, et M. G. H., SS., t. I, VI et XX. Cf. Richter, *Annalen der deutschen Geschichte im Mittelalter*, Abt. II (Halle, 1885, 8°), p. 16-24. Boehmer-Mühlbacher, *Reg. imp.*, t. I (Innsbruck, 1889, 4°), p. 41-48.

3. Chronicorum quæ dicuntur Fredegarii Scholastici continuationes. (M. G. H., SS. rer. merovingic. t. II. p. 189. Cf. H. Fr., t. V, p. 6.)

ordine cuncta exponit, ratione tali loquitur[1] : « Pippinus... cum regina sua Bertradane, jam fiducialiter Ligere transacto, ad Betoricas accessit, palatium sibi ædificare jubet. Iterum Campo-Madio, sicut mos erat, ibidem tenere jubet, initoque consilio cum proceribus suis, præfatam reginam Bertradanem cum reliquis Francis ac comitibus fidelibus suis, in prædicta Betorica dimisit. Ipse prædictus rex cum reliquis Francis et optimatibus suis, ad persequendum Waifarium ire perrexit. Cumque prædictus rex ipsum Waifarium persequens non reperiret, jam tempus hiemis erat, cum omni exercitu ad Betoricas ubi præfatam reginam Bertradanem dimiserat, reversus est... Prædictus rex Pippinus in Betoricas... per hiemem totam cum regina sua Bertradane in palatio resedit... Natale D[i] nostri Jesu-Christi et S. Epiphaniam apud Betoricas urbem per consilium episcoporum vel sacerdotum venerabiliter celebravit. Evoluto igitur eo anno, cum in Betoricas resideret, mediante februario omnem exercitum suum... ad se venire præcepit », Bituricamque reliquit, quam, quum mortuus est eodem anno 768, nunquam repetivit.

Constat igitur ab a° 762 usque ad a. 768, ac præsertim annis 767-768, Bituricam urbem quasi principia fuisse Pippini Aquitaniam invadentis. Quin, a chronographo Biturica urbs « Aquitaniæ caput » nuncupatur : hinc jam, inter cæteras Aquitaniæ urbes Francis subjectas, primarium locum obtinebat.

1. Fredegarii continuat. (M. G. H., SS. rer. merov., t. II, p. 189-192. Cf. H. Fr., t. V, p. 7 et 8).

§ 3.

Aquitanis subjectis, Franci leges instituerunt. A° 778, Carolus Magnus « Biturigæ civitati primo Humbertum, paulo post Sturbium præfecit comitem, porro Pictavis Abonem, Petragoricis autem Widbodum, sed et Arvernis Iterium, necnon Vallagiæ Bullum, sed et Tholosæ Chorsonem, Burdegalis Sigwinum, Albigensibus vero Haimonem, porro Lemovicis Hrodgarium[1] ». Quamvis chronographus civitates comitesque non sine confusione quadam enumerare videatur, notandum tamen nobis est apud eum Bituricam primas tenere partes.

§ 4.

A° 781 Aquitania regnum facta est, atque Carolus Magnus « filium suum Ludovicum regnaturum in Aquitaniam misit[2] ». Tunc temporis Aquitaniæ regnum præter Aquitaniam propriam, i. e. Bituricensem et Burdegalensem ecclesiasticas provincias, Tolosanum pagum et Novempopulaniam seu Wasconiam, Septimaniam quoque seu Gothiam complectebatur, necnon et illam Hispaniæ regionem, inter Iberum et Pyrenæos montes sitam, quam Carolus Magnus Sarracenis abstulerat[3].

1. *Vitæ Ludowici imp.* cap. 3; M. G. H., SS., t. II, p. 608; H. Fr., t. VI, p. 88. Cf. Richter, op. cit., p. 66, sq.; Boehmer-Mühlbacher, *Reg. imp.*, p. 81, n° 209, k.

2. Ibid., c. 4; M. G. H., SS., t. II, p. 609; H. Fr., t. VI, p. 89.

3. Vide H. Fr., t. VI, p. 89, n. Cf. Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1894, p. 118, sqq., § 1, sq.; Richter, p. 76-79; Boehmer-Mühlbacher, *Reg. imp.*, p. 87 et 89, n^is 226, b et 234, a.

Nunc quæramus de statu Bituricæ in novo regno.

Quam interrogationem primus inter historicos Marca, a° 1643, solvere tentavit [1] : « Accessit huic [Bituricensi] metropoli, ait, primatus dignitas in illas provincias [i. e. Burdegalensem, Wasconicam et Narbonensem] quæ sub Carolo Magno illi data est ad firmandam novi Aquitanici regni, quod a° 781 princeps ille instituerat, auctoritatem... Ut ergo feroces Aquitaniæ populi jugum Francorum mollius subirent, eorumque mores imbiberent, optimum factu visum est si ad partes interiores Galliæ sub prætextu conventuum ecclesiasticorum traherentur, et disciplinæ in clericos et laïcos ultima executio, quæ tunc erat magni momenti, Bituricensi archiepiscopo et ejus synodo competeret. Consilio itaque politico hæc innovatio facta est. » Paucis annis interjectis, scilicet a° 1648, Hauteserre sententiam a Petro de Marca primo editam novis cum argumentis adscivit [2] : « Aquitania, inquit, ex provincia in regnum commutata a Carolo Magno et Ludovico filio adhuc vagiente in cunis regni stemmate donato, Avaricum, i. e. Biturigum oppidum caput regni Aquitanici exstitit.... Et ut fere semper pontifices reipublicæ statum sequi non dedignantur..., hinc facile secutum, ut quæ civitas erat primaria et caput totius Aquitanici, in civili politia, primatum etiam apisceretur in rebus sacris. »

Cum Marca et Hauteserre consentiunt historici posteriores, ut, exempli gratia, Catherinot, a° 1681 [3], et Thau-

1. Op. cit., ed. 1669, p. 146, sq., § 52.
2. *Rer. Aquitan.* lib. IV, cap. 4, t. I, p. 246, sq.
3. *Le Patriarcat de Bourges,* 1re partie, p. 2, et 2e partie, p. 8, 10.

mas de la Thaumassière, a° 1689[1]. Sequenti sæculo[2], aiebat Thomassin[3] : « Charlemagne, ayant érigé la Guienne en royaume avec Bourges pour capitale, il fit ériger cette métropole en primatie, à laquelle il soumit les métropoles de Bordeaux, Auch (lege Eauze) et Narbonne, sans parler du droit de couronner le roi d'Aquitaine, qui fut toujours affecté au primat de Bourges[4]... La qualité de patriarche fut apparemment donnée au prélat de cette nouvelle primatie comme très convenable au premier métropolitain d'un royaume entier. » Denique, a° 1895, sic locutus est Leroux[5] : « Le diocèse de Narbonne ayant été rattaché à l'Aquitaine par Pépin le Bref en 768, et ce rattachement ayant subsisté pendant près d'un siècle, Bourges étendait logiquement jusque sur ce lointain diocèse, aussi bien que sur ceux d'Auch et de Bordeaux, son droit primatial. »

Quum tantis auctoribus niteretur doctrina quam Marca invenerat, visa est dehinc et usque ad nostra tempora veritatem ipsam plane reddere, et probata est non solum a Bituricensibus verum etiam a Burdega-

---

1. Gasp. Thaumas de la Thaumassière, *Hist. de Berry*, ed. Iª, Bourges, 1689, f°, p. 277. [ed. IIª, Bourges, 1865, 2 vol. 8°].

2. *Historiæ Francorum*, vel *Recueil des historiens des Gaules et de la France* (t. XI [1767], p. 518, sqq.) scriptores Petrum de Marca pæne ad verbum exscripserunt.

3. Louis Thomassin, *Ancienne et nouvelle discipline de l'Église, touchant les bénéfices et les bénéficiers* [ed. Iª, 1678]. Historico citanda est editio IVª a° 1725 data (Paris, 3 vol. f°); vide t. I, p. 249. Cf. p. 160, sq.

4. Cf. infra, § 10.

5. *La Primatie de Bourges*, p. 14.

lensibus historicis, quibus tamen semper curæ fuit primatialia jura primæ sedis Aquitaniæ refutare. Tali modo factum est ut dom Devienne a° 1771[1], O'Reilly, a° 1856[2] et denique Gradis, a° 1888, dicta Petri de Marca iterarent. « Bourges, inquit Gradis[3], devint la résidence ordinaire du jeune roi d'Aquitaine. Charlemagne ordonna que toutes les affaires, soit civiles, soit même ecclésiastiques, y fussent portées en dernier ressort. C'est ce qui autorisa l'archevêque de Bourges à prendre le titre de primat d'Aquitaine. »

Attamen eruditissimus Germanus cui nomen est Hinschius, quamquam plerumque — quod saltem ad Gallicanæ Ecclesiæ historiam pertinet — Thomassin duce utitur, etsi doctrinam Pauli de Marca expresse non negat, dubitare quidem videtur, sententiamque profert suam, non sine obscuritate quadam[4] : « Ueber die Entstehung dieses Primatus (von Bourges), welche wohl jedenfalls mit der Qualität von Bourges als Hauptstadt von Aquitaine in Beziehung steht, ist nichts bekannt. » Attamen « die mehrfach beliebte Datierung der Primatialstellung auf die Zeiten Karls des Grossen sich als unhaltbar erweist. » Ut Hinschius, incertus hæret Bladé : « Il est abondamment et clairement démontré... qu'il n'a été question qu'après Charlemagne de la prétendue primatie de Bourges. Mais quelle est

1. Correctione vero quadam adhibita. Op. cit., t. II, p. 361, sq.

2. O'Reilly, *Histoire complète de Bordeaux*, ed. Ia, Bordeaux, 1856-61 ; ed. IIa, Bordeaux, 1863, 7 vol. 8°, t. I, p. 201 et 218.

3. Gradis, *Histoire de Bordeaux*, Paris, 1888, 8°, p. 55.

4. Hinschius, *Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten in Deutschland*, Berlin, 1869-95, 5 Bde. 8°, t. I, p. 597.

l'origine de cette sorte de suprématie? Faut-il l'attribuer... à la création d'un royaume de ce nom [d'Aquitaine] par Charlemagne et peut-être aussi à un courant politique tendant à constituer l'Église de Gaule en une forte hiérarchie? L'examen de ce problème ne tombe pas à ma charge[1]. »

Nunc ut ad disputationem nos ipsi quoque aggrediamur, statim denuntiemus tam Petrum de Marca quam discipulos ejus commentarios extraxisse ex uno documento, scilicet e lamentatione Adrevaldi Floriacensis, qui, in libro « de Miraculis S. Benedicti », quum ad a. 865 narrabat rapinas Normannorum, flebilibus hisce verbis utebatur : « Non oppidum aut vicus, non denique civitas quæ non strage ferali conciderit paganorum. Testatur id Pictavis, fecundissima quondam urbs Aquitaniæ, hoc Santonum, hoc Engolisma, hoc Petrogorium, hoc Lemovicas, hoc certe Arvernus, terminus nuncusque barbarici gladii, ipsumque Bituricum, caput regni Aquitanici, proclamant, nulla scilicet bellica obviante manu, hostili graviter sese concidisse incursu[2]. » Ille Adrevaldi locus famam magnam per medium ævum adeptus est, et fere ad verbum invenitur exscriptus apud Wilhelmum Calculum Gemmeticensem[3], apud Matthæum Parisiensem[4], itemque apud Matthæum

1. Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux,* 1894, p. 146, sq., § 3.

2. Ex Adrevaldi Floriacensis *Miraculis S. Benedicti,* M. G. H., SS., t. XV, p. 495 (édit. de Certain, p. 73).

3. Wilhelmi Calculi *Historia Northmannorum,* lib. 1, cap. 8. (Migne, P. L., col. 786, A B.)

4. Rer. brit. m. æ. SS., LVII, Matthæi Parisiensis *Chron. majora,* t. I, p. 424 : « Avaricum, caput Aquitanicæ regionis. »

Westminsterium [1], necnon versibus mandatus apud Stephanum Rotomagensem Becensem monachum [2] :

> Nobilis Arvernus Vulcano traditur ipsi,
> Sanctonum simili cum feritate perit,
> Lemovicas florens horum vastatur ab armis,
> Engolisma ferox cedit, et ense caret.
> Hinc Aquitanorum caput Avaricum superatur...

Liquet vero aliud esse famam, aliud auctoritatem historicorum documentorum. Per se, nec per traditionem patet veritas. Atqui in Adrevaldi loco facile invenies ambigendi materiam. Primo nobis est notandum Adrevaldum extremo IX° sæculo floruisse, scilicet anno circiter centesimo quam Aquitanicum regnum constitutum erat. Huc adde quod Adrevaldus, ut clariorem faciat Normannorum barbariam, laudibus maximis ornat destructas civitates; nec nobis mirum est si Bituricam « caput Aquitanici regni » nuncupat, eodem modo quo Pictavium ut « fecundissimam urbem Aquitaniæ » jam demonstraverat. Satis constat, et certiore documento [3], Bituricam Pippini temporibus primum in Aquitania obtinuisse locum. Verum nec de Adrevaldo, quamvis, non sine verborum subtilitate quadam, contendat Bituricam « caput Aquitanici regni » fuisse, nec de auctoribus qui eum exscripserunt, præsertim quum pro verbis « caput Aquitanici regni », vel « caput

---

1. Rer. brit. m. æ. SS., XCV, *Flores historiarum*, t. I, p. 466 : « Avaricum, caput Aquitanicæ regionis. »

2. Stephani Rotomagensis poema cui titulus est *Draco Normannicus*, lib. I, cap. 24, v. 1089-1093 (Rer. brit. m. æ. SS., LXXXII, *Chronicles of the Reignes of Stephen, Henry II and Richard I*, t. II, p. 632).

3. Cf. supra, § 2.

Aquitanicæ regionis » vel « Aquitanorum caput » de Biturica dicant, inferre auderemus Carolum Magnum Bituricam civitatem constituisse ut caput regni a° 781 ab eo creati.

Chronographi coætani verba jam novimus. Carolus, aiebat, « filium suum Ludovicum regnaturum in Aquitaniam misit[1] » ; tacebatque de Biturica. Nec mirum. Nam, ut hunc Bladé locum afferam : « le nouvel État n'eut pas à proprement parler de capitale. A l'exemple des Mérovingiens, les souverains de ce pays devaient séjourner dans diverses parties de leur royaume[2]. » Instar enim recentiorum institutorum nostrorum, quæ semper, ut ita dicam, ad immutabile centrum quoddam plusve minusve vergunt, animo fingere non debemus politicos mores Carolinorum principum. Per hiemem Ludovicus Pius quatuor in villis habitabat, quorum nomina nobis servata sunt[3] ; vere novo solebat vero Tolosam se conferre. « Toulouse, inquit Bladé, était toujours la ville la plus considérable du midi de la Gaule[4]..., celle où le roi d'Aquitaine devait avoir surtout les occasions et les motifs de se montrer et de tenir le plus souvent le Champ de Mai[5].

1. Cap. 4, jam supra citat. *Vitæ Ludov. pii imp.*, quæ auctori dicto Astronomo adscribitur. H. Fr., t. VI, p. 89, vel M. G. H., SS., t. II, p. 609.

2. Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1894, p. 145, § 2.

3. Astron. *Vita Ludov. pii imp.*, cap. 7 ; H. Fr., t. VI, p. 90, vel M. G. H., SS., t. II, p. 610. Cf. Bladé, ibid., p. 145, § 2, et 174, § 15.

4. Bladé, ibid., p. 306.

5. Etenim conventus procerum frequenter habebantur Tolosæ a^{is} scilicet 798 (cf. Bladé, ibid., p. 277, § 17); 801 (id., ibid., p. 299, sqq., § 25) ; 828/9 (cf. infra, § 9), nunquam vero Bituricæ.

Considérons-la donc, en fait, comme la capitale de l'Aquitaine[1]. » Tantum igitur abest ut Biturica urbs tunc caput Aquitaniæ evaderet, ut e contrario præeminentiam omitteret quam sub Pippino usurpaverat.

§ 5.

Cæterum, etiam si Ludovicus Pius Bituricam nec Tolosam ut sedem regni habuisset, ecclesiastica primatia Bituricensis civitatis nondum demonstraretur.

Atqui documentum superest, ex quo Bituricensis episcopi dignitatem colligere possumus. A° 786[2], vel potius circa a. 784-791[3], Hadrianus I papa, Carolo Magno postulante, Ermembertum Bituricensem pallio decoravit. De quo non monemur nisi a summo pontifice ipso, cujus hæc verba sunt : « Repperimus quippe in ipsis regales affatibus vestris, ut prelato Ermenberto episcopo palleo sacerdotalibus infulis decorato apostolice auctoritatis concederemus, quia civitas metropolis in Aquitania videtur esse patria, que Bituricas nuncupatur ubi nunc prefatus venerabilis vir preesse dinoscitur curamque pastoralem devotus exercere videtur. Quatenus, ignorantes, si canonice provinciæ partibus illis iam ordinate tam a predecessoribus nostris quamque a nobis fuisset, enucleacius eum indagari curavimus : nec usurpationis locus aliquid sacerdotes in alterius concedatur. Qui prefatus sanctissimus vir

1. Bladé, ibid., p. 145.
2. Sic plerique historici.
3. Sic Jaffé, *Reg. pont.*, ed. IIa, n° 2475.

nobis confessus est, ut sub nullius archiepiscopi iurisdicione esse videretur. Quapropter pro nimio vestro regali ex intimo cordis amore predicto Ermenberto a nostra apostolica sacratissima sede atque auctoritate archiepiscopus constitutus in metropolitanam civitatem, quæ Bituricas cognominatur, sicut dudum mos extitit, sub iure sanctæ recordationis ecclesiæ degente usu pallii concessimus fruendi[1]. »

Igitur, ait Marca[2], « a° illo 786 nondum evecta erat [Bituricensis metropolis] ad fastigium primatus in ceteras Aquitaniæ provincias. Quod probatur ex epistola Hadriani I eo anno ad Carolum Magnum data... Ait [Hadrianus I Bituricensem sedem] tantum esse metropolim in Aquitania, quod verum est, non autem Aquitaniæ metropolim... Id unum præ se ferebat eo tempore Bituricensis episcopus ad provocandam gratiam sedis apostolicæ, se metropolitana dignitate frui, nullique archiepiscopo subditum esse. Si qua illi competiisset auctoritas in Burdegalensem, Auscitanum [lege Elusanum] et Narbonensem archiepiscopos, tunc explicanda erat, ut facilius pallium impetraretur pro quo obtinendo Carolus quoque intervenerat ». Ut Marca, Thomassin[3]. Ne multa : contendunt Bituricensium jurum vindices primatiam a° 781 constitutam esse, a° vero 786 nondum ab episcopo exercitatam, nec vulgatam.

Objicitur quidem a Burdegalensibus Narbonensibusque historicis primatiam ab episcopo non exercitatam esse, quia nondum constituta erat. « [La primatie

1. M. G. H., Ep., t. III, p. 628.
2. Edit. 1669, p. 145, sq. .
3. Edit. 1725, t. I, p. 160 et 249. Cf. THAUMAS, p. 276, 277.

de Bourges], ait dom Vaissette[1], n'a pas été instituée dans le temps de l'érection du royaume d'Aquitaine par Charlemagne. » « Il n'est pas possible de lire avec attention [la lettre d'Hadrien], addit dom Devienne[2], sans se convaincre qu'il n'était pas encore question de cette prétendue primatie. On n'y dit pas un mot qui y ait rapport. »

Si contra recentissimo Bituricensis primatus propugnatori fidem adjunges, agnosces « que cette primatie était reconnue et proclamée d'une certaine manière par la papauté[3] ». Nam primates archiepiscopi sunt, quibus archiepiscopi quidam ut suffraganei subjiciuntur. Atqui ex Hadriani papæ epistola apparet Bituricensem archiepiscopum nulli archiepiscopo subjectum esse. Concluditur ergo Bituricensem archiepiscopum primatiæ capacem fuisse. Sic Leroux, ut quidem videtur. Sed clare apparet ex præmissis ejus conclusiones duas dialectice colligendas esse : tam enim incapax quam capax primatiæ videtur Bituricensis archiepiscopus.

Relicta ista verborum concertatione, existimamus papam ut archiepiscopum neque ut primatem Ermembertum duxisse, non solum quia in epistola ejus nullum fit verbum de primatia, verum etiam quia de pallio agitur[4]. Nam quum summi pontifices pallium ut

---

1. *Hist. de Languedoc,* ed. IIa, t. II, p. 324.

2. Op. cit., p. 362, sq. — Adde La Brousse, c. IX, p. 41.

3. Leroux, *La Primatie de Bourges*, p. 8.

4. De usu pallii optime disputaverunt nuperrime Loening, *G. d. d. K. R.*, t. II, Strassburg, 1878, 8°, p. 89-96; Rocquain, in *Journal des savants,* 1880, p. 633 ; Duchesne, *Origines du culte chrétien*, p. 370-375 ; Imbart de la Tour, *Les Élections épiscopales dans l'Église de France du IXe au XIIe siècle* (Étude sur la décadence du principe électif, 814-1150), Paris, 1890, 8°, p. 32.

signum honoris ac devotionis indulgerent prælatis iis in quos benevolo essent animo ; quum primis, et nominatim jam Hadriani temporibus solerent illa decoratione donare episcopos tantummodo metropolitanos, vel diœcesanos qui nulli archiepiscopali juridictioni obtemperarent; quum denique, scilicet a pontificatu Nicolai I papæ, paulatim institueretur ut non quibusdam solum, sed omnibus archiepiscopis pallium concederetur, tali modo ut tum demum metropolitani legitime evaderent episcopi qui pallium accepissent, non dubitandum est quin Ermembertus metropolitanus archiepiscopus dignoscatur nullam aliam ob causam nisi concessione pallii.

Quædam vero nobis non omittenda videntur. Novimus enim, ut supra dictum est, papam Ermemberto pallium misisse, Carolo Magno petente. Præterea constat Carolum Magnum politicis rationibus impulsum esse ut ecclesiasticam hierarchiam et præsertim archiepiscopalem gradum firmaret[1]. Adde quod Ermembertus pallio decoratus est non multo postquam novum Aquitanicum regnum constituebatur. Fidem igitur excedere non videbimur, si contendemus Carolum Magnum sibi proposuisse ut archiepiscopum quemdam episcopis Aquitaniæ anteponeret, et ad hoc Bituricensem elegisse prælatum cujus tali modo metropolitana dignitas a romano pontifice tunc primum consecraretur. Atqui, quum favor quo Bituricensis prælatus fruebatur tam apud regem quam apud papam

1. Hauck, *Kirchengeschichte Deutschlands,* 2ter Theil, Leipzig, 1890, 8°, p. 35, sq., 49, sqq. et præsertim p. 188-193.

nulli cæterorum Aquitanicorum episcoporum tributus esse videtur, seu defectu documentorum, seu potius quia res ita se habuit, agnoscenda nobis est concessio pallii Bituricensi episcopo, ut argumentum præstantiæ cujusdam Bituricensis sedis in Aquitanica ecclesia, quamquam de primatia nondum agebatur.

§ 6.

Regnantibus Carolo Magno et Ludovico Pio imperatoribus, rari fiunt eventus quos Bituricensis primatiæ vindices testificari potuerunt. Imprimis tamen nobis notandum est documentum quod Caroli Magni testamentum nuncupatur. Sic legitur apud Einhardum[1] : « Nomina metropoleorum ad quas eadem elemosina sive largitio facienda est hæc sunt : Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, Gradus, Colonia, Mogontiacus, Juvavum quæ et Salzburg, Treveris, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rotomagus, Remis, Arelas, Vienna, Darantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. » Quæ enumeratio metropolitanarum civitatum magna auctoritate valuit apud medii ævi scriptores. Citatur enim aut exscribitur XI° sæc. a Mariano Scotto[2], XII° sæc. ab Hugone Floriacensi[3], Sigeberto Gemblacensi[4], Hariulfo Centulensi[5], et XIII° sæc. a

1. Einhardi *Vita Karoli*, cap. 33, M. G. H., SS., t. II, p. 461.
2. *Hist.*, M. G. H., SS., t. V, p. 549.
3. *Hist. eccl.*, M. G. H., SS., t. IX, p. 362.
4. *Chronica*, M. G. H., SS., t. VI, p. 337.
5. *Chronic. S. Richarii*, édit. Lot, p. 77. Cf. p. XXVI.

Rodulfo de Diceto [1]. Nihilominus quam « Notitia Galliarum » recipitur ut maximi ponderis geographicum documentum. Itaque in diversum trahitur, et magna inter historicos exstitit controversia, quum de ordine quo civitates in testamento Caroli enumerantur, tum de eo quod metropolitanæ civitates aliquæ prætermittuntur. Quibus de interpretationibus pauca nobis dicenda sunt, quod quidem ad Bituricam pertinet.

Liquet Romam primum in testamento obtinuisse locum, præstabilem propter dignitatem. Dividitur deinde laterculum in tres partes, scilicet italica, germanica et gallica aquitanicaque [2]. Quemadmodum in enumeratione nullus apparet ordo inter partes, sic in parte unaquaque non ordinate componuntur civitates. Quamquam nomina earum traduntur sic quasi nomenclator oculis tabulam imperii perlustrasset incurvato ordine, a septentrione ad meridiem et ab oriente ad occidentem, ad certam geographicam dispositionem redactum esse non videtur testamentum. Credebant medii ævi auctores, non Romam solum, verum etiam civitates omnes ratione dignitatis compositas esse. Illud est quamobrem perscriptores ad libidinem interverterint metropolitanas civitates. Sæculo etiam XVII°, contendebat Lopès [3] Bituricensem sedem nullo modo in Aqui-

---

1. Rer. brit. m. æ. SS., LXVIII, Rod. de Diceto *Hist. opp.*, t. I, *Abbreviat. Chronicorum*, p. 132.

2. E contra nobis notandum est in capitularibus quæ servata sunt de divisione regnorum, ad a. 806 (M. G. H., 4°, Legum sectio II, t. I, p. 126), 817 (ibid., p. 270) et 831 (ibid., t. II, pars Ia, p. 21), Aquitaniam semper primum obtinere locum.

3. Op. cit., t. I, p. 269, sq.

tania, et nominatim supra Burdegalensem sedem eminuisse, quia in Caroli Magni testamento, extremo loco recensebatur. Quod argumentum frigidum esse videtur. Quamquam enim potest fieri ut in Caroli Magni testamento ordo civitatum ratione quadam determinetur, ut, exempli gratia, vario pretio legatorum ab imperatore concessorum, constat tamen metropolitanas civitates omnes, Roma quidem excepta, ecclesiastico jure, quasi pares paribus in enumeratione æquatas esse.

Sed quid de iis quæ omittuntur? Non sine similitudine quadam cum « Notitia Galliarum » videtur esse testamentum Caroli Magni[1]. Tacet vero de Aquis Sextiis, seu quia Arelatum tunc temporis metropolitanam dignitatem Aquisextanæ sedis usurpaverat[2], seu potius quia Aquisextanus episcopus nondum ad metropolitanam dignitatem evectus erat[3]. Quod ad Aquitanicam partem pertinet, miramur civitates duas, scilicet Narbonensem et Elusanam quæ ambæ in « Notitia Galliarum » ut metropolitanæ notabantur, et porro in forum Bituricensis primatiæ convenire videbantur, prætermissas esse.

Dicunt sane Elusanam sedem jam destructam esse; verum explicatio quæ sic proponitur et falsa videtur: nam, si Bladé credas, Elusana sedes usque ad medium

1. Vide Duchesne, *La Primatie d'Arles*, p. 227, n. 3.

2. Drapeyron, *Essai*, p. 98. Cf. infra, § 12 (de Hincmari epist. a° 860 scripta).

3. Duchesne, *La Primatie d'Arles*, p. 227, sq. et 233; Longnon, *Géographie de la Gaule au VIe siècle*, p. 185, *Atlas histor.*, texte, p. 35.

IX^um^ sæculum duravit[1], et infirma : non enim convenit Narbonensi sedi, quæ tunc non vacabat.

Causam aliam affert Cointius[2], contendens duo metropolitanorum episcoporum genera Caroli Magni tempore exstitisse : superiores videlicet archiepiscopos, qui nulli archiepiscopo, et inferiores qui superioribus archiepiscopis subnoxii essent. In testamento Caroli Magni superiores archiepiscopi solum inveniuntur. Ex quo colligitur in Aquitania duos inferiores archiepiscopos, Elusanum scilicet et Narbonensem, obedientiam hoc tempore præbuisse duobus superioribus archiepiscopis, Bituricensi scilicet et Burdegalensi, seu singulos seu ambos vel uni vel alteri. Ut Cointius Hauteserre[3], atque ut Hauteserre Drapeyron[4], cui non mirum videtur cur Septimania Wasconiaque, quum a Francis subactæ essent, ecclesiasticam αὐτονομίαν perdiderint suam. Addit vero Cointius inferiores Aquitanicos archiepiscopos Bituricensi metropolitano, tamquam primati, subjectos fuisse. Quod negat Bladé[5], asserens Elusanum episcopum Burdegalensi et Narbonensem nulli Aquitanico archiepiscopo obedivisse. Constat tamen, ut supra dictum est, a Pippini tempore, partem Narbonensis ecclesiasticæ provinciæ Aquitanico regno adscriptam esse. Quinimo Bladé, argumentum concludens, pronuntiat doc-

---

1. Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1894, p. 325, sqq.
2. *Ann. eccl.*, ad a. 811, n. 8 ; t. VII, p. 162, sq.
3. Op. cit., t. I, p. 162, sq.
4. *Essai*, p. 98.
5. Loc. supra cit., p. 224.

trinam Cointii omnino falsam esse : « Quod gratis asseritur, ait, gratis negatur. »

Verumtamen ambigendi materia superest. Nobis enim notandum est Carolum Magnum in testamento suo duas tantummodo metropolitanas civitates omisisse, quæ, miro rerum concursu, ambæ intra Aquitaniæ fines jacent. Potest fieri ut imperator, quum tentaret ecclesiasticam hierarchiam firmare, duos solum archiepiscopos restituerit, vel potius instituerit in Aquitanico regno, Bituricensem scilicet et Burdegalensem, tali modo ut volens nolens inferiore in gradu fixisset Narbonensem Elusanumque episcopos.

Non vero apparet Elusanum Narbonensemque episcopos publice Bituricensi Burdegalensique archiepiscopis, aut Bituricensi soli obnoxios declaratos esse. De primatia nondum agitur, et Bituricensis Burdegalensisque episcopi pares juribus esse videntur. Neque errat Hauteserre qui talibus verbis conclusionem affert suam[1] : « Quod ad primatiam Aquitaniæ, de quo nobis sermo propositus est, primatis nomen nesciebat Bituricensis episcopus tempore Caroli Magni, soloque metropolitani honore gaudebat, ut ex eo colligo, quod in testamento Caroli recensentur Metropoles quæ ipsius imperio continebantur, quo in elencho Bituricensis non alio quam metropolis nomine venit. »

---

1. Op. cit., t. I, p. 242.

§ 7.

Cæterum, licet in eventis deprehendere nulla præstantia Bituricensem prælatum in Aquitanico regno eo tempore fruitum esse. Nam, quum Carolus Magnus, a° 802 vel c. missos legaret in Narbonensem provinciam, Leidradum Lugdunensem archiepiscopum, Theodulphumque Aurelianensem episcopum destinaret, et quum a° 813 quinque concilia in imperio convocaret, quorum ad duo Aquitaniæ episcopi convenire deberent, Turones videlicet trium ecclesiasticarum provinciarum Aquitanicarum, et Arelatum Septimaniæ episcopi (quantum vero conjectura præsagiri potest, subscriptionibus conciliorum deficientibus[1]), nec Bituricensis episcopus ab imperatore designatus est, nec Biturica urbs ut Aquitanici concilii sedes.

§ 8.

Est tamen tunc temporis documentum quod ab quibusdam historicis allegatur ut « [une] suggestion à l'adresse des archevêques de Bourges tendant à manifester leur droit primatial[2] », vel potius ut « [une] constatation[3] » Bituricensis primatiæ in Aquitanico regno.

Varios post casus, quos proposito nostro non pro-

1. Vide Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1894, p. 312-5, § 30, et 335, § 48.

2. Leroux, *La Primatie de Bourges*, p. 8.

3. Id., *ibid.*, p. 9.

dest hic enodatius explicare, quum secundum vel tertium annum (annis scilicet 820 vel 821) in custodia Andegavi retineretur, Theodulphus Aurelianensis episcopus epistolam versibus scriptam Bituricensi archiepiscopo misit[1] :

1 « Hoc, Aiulfe, tibi, præsul sanctissime, mitto
2 Theudulfus carmen exul ab exilio.
3 Nobilis et pulchræ fueras puer indolis olim,
4 Nunc vir es ornatus nobilitatis ope... »

Porro pergit Theodulphus ad hunc modum Aiulfi laudes canere :

39 « Es bona magna gerens, ut agas majora precamur,
40 Poscimus optatam ut det tibi Christus opem...
45 Es patriarchali primæ prælatus honore
46 Sedis, et alma patrum est subdita turba tibi...
51 Esto bonis agnus, leo fervidus esto malignis :
52 Pars amet ista patrem, ut illa pavescat herum. »

De versu 45, sq., dubium est[2] utrum grammatice : « Es patriarchali honore prælatus primæ sedis », an « Es prælatus sedis primæ patriarchali honore », struatur, tali modo ut adjectivum nomen « patriarchale » sive ad Bituricensem archiepiscopum, sive ad Bituricensem sedem conjungatur. De adjectivo nomine ipso dubium etiam est utrum « primatiale » an « metropolitanum » synonymia quadam significet. Ex se in-

1. Theodulfi *Carmina,* LXXI, ad Aiulfum episc., M. G. H., Poetarum latinorum m. æ. t. 1, pars prior, p. 560-62.

2. Vide Leroux, op. cit., p. 7, sq.

telligitur hanc quæstionem illa graviorem esse, necnon illam ex hac pendere.

Nostra quidem sententia, haud dubitandum videtur quin patriarchale nomen metropolitani synonymon sit. Ut Desiderius Cadurcensis, de quo supra locuti sumus[1], verbis laudativis utitur Theodulphus, et per poeticam ὑπερβολήν Aiulfum patriarchali decorat titulo. Tacet vero omnino de primatiali jure Bituricensis archiepiscopi extra fines metropolitanæ provinciæ. Cæterum constat patriarchale nomen idem ac metropolitanum aliquando significavisse[2]. Huc adjice quod prosodiæ causa verbum « ārchĭĕpīscŏpālĭs » ad hexametrum versum non aptum est. Quod quum observabat Vaissette, non quidem animadvertit Theodulpho facultatem fuisse, minima cum versus emendatione, verbum « mētrŏpŏlītānŭm » in locum « pătrĭārchālĭs » nominis substituendi. Non sine exaggeratione quadam verborum hisce vocibus tandem concludit Vaissette[3] : « Il est très vraisemblable que ces vers mal entendus sont la principale source du prétendu patriarcat de Bourges. » Notandum vero nobis est nunquam, quod sciamus, Theodulphi carmen a medii ævi scriptoribus citatum esse. Allegabatur sane sæculis XVII° et XVIII° a Labbe[4], Catherinot[5], et in Gallia Christiana[6]. Sed, tunc etiam, nulla de eo fiebat mentio apud historicos ut

1. Cap. II, § 6.

2. Cf. supra, cap. II, § 6. et infra, cap. IV, § 7.

3. *Histoire de Languedoc,* ed. II^a, t. II, p. 324, sq.

4. *Histoire du Berry, abrégée,* 2e partie, § 1 (ed. 1840, p. 18).

5. *Le Patriarcat de Bourges,* 2e partie, p. 6, sq. ; Thaumas, p. 273.

6. G. C., t. II, col. 21, lit. C.

Marca, Hauteserre & Thomassin, qui, quamquam primatialia jura Bituricensis sedis vindicabant, hoc argumentum quasi infirmum et inutile prætermittebant.

§ 9.

Eadem colliguntur de conciliis quæ Ludovicus convocavit quam de conciliis a Carolo Magno advocatis. A° 828 Ludovicus et Lotharius capitula promulgaverunt de conciliis episcoporum in IV imperii partibus congregandis [1]. Conventus episcoporum debebat fieri in quatuor locis : « id est Magontiaco... ; in Parisio... ; in Lugduno... ; in Tolosa : Noto [Arelatensis archiepiscopus], Bartolomæus [Narbonensis archiepiscopus], Adalelmus [Burdegalensis seu Elusanus archiepiscopus [2]], Agiulfus [Bituricensis archiepiscopus], cum eorum suffraganeis. »

Ergo, quemadmodum Senonensis archiepiscopus Parisios, sic Bituricensis archiepiscopus Tolosam se conferre debebat. Non ignoras Parisiensem civitatem Senonensis provinciæ ecclesiasticæ suffraganeam esse. Quod vero ad Bituricam pertinet, quamquam ab a° 817 Septimania in partes duas dividebatur, quarum una cum Narbone ad Provinciam adscripta est, altera cum Tolosa in Aquitania permanebat, inferre non possumus Tolosanum episcopum Bituricensem prælatum ut archiepiscopum agnovisse suum. Utut id est, con-

1. M. G. H., 4°, Legum sectio II, t. II, pars I[a], p. 2. Cf. p. 5, sq.

2. Lege Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux*, 1894, p. 326, sq., § 43.

stat vero in capitulare a° 828 edicto, locos conciliorum ratione non ecclesiasticæ dignitatis, at politicæ celebritatis civitatum designatos esse.

Inter episcopos, quis vero concilio præfecturus erat? Si credas eruditissimis auctoribus monumenti illius quod « Gallia christiana » inscribitur, Arelatensis, Narbonensis, Burdegalensisque civitates « tunc pertinebant ad Bituricensem metropolim », et « huic cœtui indicto a° 828, præesse debuit Aiulfus ut pote habito in sua provincia[1]. » Nonne vero tibi videntur auctores « Galliæ christianæ » quæstionem quæstione ipsa solvisse? Nam e nullo documento comperimus totum Aquitanicum regnum eo tempore provinciam ecclesiasticam unam figuravisse, cui Bituricensis prælatus ut metropolitanus primasve præesset. Nisi quid me fallit, quatuor conciliis præsessuri erant episcopi qui in unaquaque serie primo nominarentur loco, nempe Magontinæ Magontinus, Parisiis Senonensis vel Remensis[2], Lugduni Lugdunensis et Tolosæ Arelatensis archiepiscopus.

Non tam mirabimur Arelatensem prælatum, qui etiam tunc memoriam præsentem habere potuit apostolicæ vicariationis a Summo Pontifice olim prædecessoribus concessæ, cæteris Galliæ meridionalis episcopis antecessisse, quam Burdegalensem archiepiscopum in enumeratione capitularis Bituricensi antepositum esse. Non est dubium quin in capitulare Ludovici ut in testamento Caroli, metropolitani episcopi non ratione

1. G. C., t. II, col. 21, lit. c.

2. Tunc enim vacabat Senonensis sedes.

dignitatis, sed incomposite et nullo ordine designarentur, Roma quidem in testamento et conciliorum præsidibus in capitulare exceptis.

Ita prorsus conficitur, quum ex loco conciliorum tum ex ratione enumerationis, Ludovicum in capitulare a° 828 edicto, nullam Bituricensi prælato tribuisse præeminentiam, neque supra Burdegalensem archiepiscopum (quod jam arbitrabatur dom Devienne[1]) neque supra Narbonensem (quod jam notabat dom Vaissette[2]), ne Tolosanum quidem supra episcopum. Apparet eo tempore Bituricensis sedes ut metropolitana vel archiepiscopalis, et nihilo major minorve; metropolitano titulo, neque alia dignitate ornabantur Bituricenses archiepiscopi[3]; atque, in summa, de Bituricensi primatia nondum agebatur.

§ 10.

In Prudencii Annalibus ad a. 855[4] legitur Carolum Caroli filium Lemovici Aquitaniæ regem consecratum esse.

Cujus eventus memoria vitiabatur ab Ademaro Cabannensi[5], Bernardo Iterii[6] et a chronographo S. Mar-

1. T. II, p. 363.

2. *Hist. de Languedoc,* ed. IIa, t. II, p. 326.

3. Cf. subscriptiones Bituric. prælatorum in Sirm. *Conc. Gall.*, t. II, p. 665 (a° 810); H. Fr., t. VI, p. 253 (a° 835); VI, 301 (a° 835); VII, 278 (a° 835); cf. VII, 558; VII, 282 (a° 835); VI, 302 (a° 838).

4. *Ann. Bert.,* éd. Dehaisnes, p. 87, sq.

5. H. Fr., t. VII, p. 226, sq., vel M. G. H., SS., t. IV, p. 122 : ex *Chronico* Ademari Cabannensis, lib. III, c. 19, (ad a. 855).

6. *Chronicon* B. Iterii, édit. Duplès-Agier; *Chroniques de S. Martial de Limoges,* p. 37, sq. (Ex Ademaro, sed ad a. 836.)

tialis Lemovicensis [1] secundum quos Carolus Calvus ipse, nec filius ejus, Lemovici a Bituricensi archiepiscopo consecratus esset [2].

Tanti erroris causa nobis notanda est. Erant XI° sæculo Lemovicenses clerici quidam, inter quos imprimis Ademarus Cabannensis, qui demonstrare conabantur S. Martialem ecclesiæ Lemovicensis conditorem apostolum fuisse et a D° Jesu Christo ipso in Galliam Aquitanicam missum esse : ex quo conficeretur Lemovicensem ecclesiam antiquitate & dignitate primum in Aquitania obtinere locum [3]. Cujus præeminentiæ, quæ sine ulla intermissione ab ultima antiquitate agnoscebatur, testes erant duces et reges Aquitanici, qui omni memoria coronam vel chrisma a prælatis accepturi Lemovicum petebant. Citabantur, fallaciter quidem, dux Odo, c. a. 715, regesque Ludovicus Pius, ad a. 801, Pippinus, ad a. 817 & denique Carolus Calvus, ad a. 848. Necnon duces secundæ ducalis domus Aquitaniæ traditum ab antiquis morem servabant, quippe qui sæculis XI° & XII° Lemovici quoque consecrarentur [4].

Quum vero Lemovicensis civitas ad Aquitaniam I^am^ pertineret, consecrationi præesse debebat Bituricensis archiepiscopus. Unde factum est ut diceretur XIII° sæ-

---

1. *Commemoratio abbatum Lemov. Basilice S. Marcialis,* in *Chroniques de S. Martial de Limoges,* p. 2 (ad a. 855). Pars I^a^ *Commemorationis* Ademaro ipsi adscribitur a Duplès-Agier.

2. Vide Fustel de Coulanges, *Les Transformations de la royauté,* p. 230, sq.

3. Cf. infra, cap. VI, § 2.

4. Cf. Bladé, *Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux,* 1892, p. 262, et 1894, p. 180-186, § 23.

culo, in anonymo opusculo « de Aquitania » jam supra a nobis allato [1], primatiam Lemovico Bituricam translatam esse.

Interea vero, quum regiæ consecrationis solemnia multo cum apparatu in Francia celebrarentur, et in magno politico momento ponerentur, curaverunt Bituricenses archiepiscopi ut ea in Aquitania quoque celebrarentur. Nec frustra. Nam quum a° 1146 litigabatur utrum Bituricensis an Remensis archiepiscopus regiæ consecrationi præfecturus esset, res ad Papam relata est qui, postquam primæ sedis Aquitaniæ jura perquisivit, tunc demum Bituricensem primatiam publice agnovit [2].

Ex quo concluserunt historici [3], magno post intervallo, XVII° videlicet sæculo, Bituricensem archiepiscopum jus reges consecrandi & coronandi, ratione primatiæ, habere; renovaveruntque memoriam loci illius T. Livii Patavini, de Biturigibus qui reges Celticæ darent [4].

Ita fit ut ex consecratione a° 855 habita, neque ex alio historico eventu, orta sint et certamina XI[i] sæculi & commentaria XVII[i] sæculi, quæ utraque magnopere ad Bituricensem primatiam pertinent.

Carolino vero tempore, narrant chronographi Ludovicum Pium Romæ a° 781 ab Hadriano I papa et Carolo Calvo a° 848 Aureliæ reges Aquitanicos conse-

1. Cap. III, § 2.

2. Epp. Eugenii III, ap. Jaffé, *Reg. pont.*, ed. IIª sub n^is 8883 (15-3 1146) et 8896, sq. (26-3 1146).

3. Ut Chenu, p. 69, sq; Catherinot, p, 1, 2.

4. Cf. supra, cap. 1, § 2.

cratos esse, silent autem de Bituricensi archiepiscopo qui tunc ut ante « episcopi[1] » nomen gerebat, et cujus sedes vel provincia « metropolitana[2] » nominabatur.

§ II.

Restitutionem illam ecclesiasticæ hierarchiæ et nominatim archiepiscopalis gradus quam inchoaverat Carolus Magnus[3] neglexerunt successores ejus adeo ut extremo IX°, haud aliter ac VI° sæculo[4], provincialis prælatus tam « metropolitanus[5] » quam « archiepiscopalis[6] » esse videretur.

Fit vero ut, insolita quidem ratione, archiepiscopali titulo decoratus sit Bituricensis metropolitanus. In Chronicis Adonis Viennensis Rodulphus Bituricensis « archiepiscopus Aquitanorum » nuncupatur[7]. Quæ appellatio, e Floriacensi Chronico[8], ni fallor, exscripta,

1. Sirm., *Conc. Gall.*, t. III, p. 144, 148 et M. G. H., Leg. sect. II, t. II, pars. 2, p. 450 (a° 859); H. F., t. VII, p. 647, et *Conc. Gall.*, t. III, p. 160, 162 sq., 164, 173 (a° 860); Tardif, *Monuments historiques,* Paris, 1864, 4°, n. 187, sq. (a° 862); *Conc. Gall.*, t. III, p. 302 (a° 866); H. Fr., t. VII, p. 591 (a° 867).

2. H. Fr., t. VIII, p. 595 (a° 864); Tardif et *Conc. Gall.*, loc. supra cit. (a^is 862 et 866).

3. Cf. supra, cap. III, § 5, p. 56.

4. Cf. supra, cap. II, § 2.

5. *Conc. Gall.* et M. G. H., loc. supra cit. (a° 859).

6. *Conc. Gall.*, t. III, p. 28 (a° 845); ibid. p. 141, sq. (a° 859), H. Fr.., t. VIII, p. 595 (a° 864); ibid., p. 558 (a° 867); M. G. H., Leg. sect. II, t. II, pars 2, p. 349 (a° 876); H. Fr., t. VIII, p. 653 (a° 876); ibid., p. 670, sq. (a° 877); t. IX, p, 426, sq., 432 (a° 882).

7. P. L., t. CXXIII, col. 138, lit. A.

8. H. Fr., t. VII, p. 274; M. G. H., SS., t. II, p. 254.

ab Hauteserre [1] et Thaumas [2] multo post allegabatur ut indicium Bituricensis primatiæ. Quum vero legatur non in Adonis Viennensis ipsius opere, sed in prima ejus continuatione, quippe quæ non tanta auctoritate apud existimatores valeat [3], et insuper verbis adeo incertis dubiisque concipiatur, ut « archiepiscopus Aquitanorum » tam « I^æ Aquitaniæ » quam « trium Aquitanicarum provinciarum » metropolitanus esse videatur, non dubium est quin velut Bituricensis primatiæ testimonium non citanda sit, nisi roborata subsidiariis et adjuvantibus rationibus, quæ sane deficiunt.

§ 12.

Relinquitur ut in subscriptionibus conciliorum signa Bituricensis dignitatis examinemus.

Ex actis concilii Tullensis II apud Tusiacum a° 860 habiti, novimus Bituricensem archiepiscopum ante Burdegalensem nomen adscripsisse suum [4]. Alter vero prælatus alteri æquabatur ab Hincmaro qui quum « ad Rodulphum Bituricensem et Frotarium Burdegalensem Aquitaniæ Metropolitanos [5] » nomine Patrum concilii litteras mittebat, similibus verbis utrosque alloquebatur. Quinimo adjiciebat ad ejusdem epistolæ calcem : « Vos qui primarum sedium regni Aquitanici estis [6]. »

---

1. T. 1, p. 248.
2. P. 275.
3. Vide M. G. H., SS., t. II, p. 324, col. 1, et p. 315, sq.
4. Sirm., *Conc. Gall.*, t. III, p. 160, 162, sq.
5. *Conc. Gall.*, t. III, p. 173.
6. *Conc. Gall.*, t. III, p. 186, col. 1.

Citabantur dehinc Hincmari verba ab adversariis Bituricensis primatiæ, ut La Brousse a° 1657[1], Lopès, a° 1668[2], dom Vaissette a° 1730[3], qui contendebant Rodulphum Frotariumque æquo honore a Remensi archiepiscopo et Patribus concilii habitos esse.

Quæ doctrina, etsi similitudinem quamdam speciemque veritatis gerit, tamquam ansas præbet vero ad reprehendendum.

Patres enim concilii, quorum nomine Hincmarus epistolam miserat suam, ex XII ecclesiasticis provinciis venerant, quæ in actis concilii[4] sequenti ordine enumerantur : « Vesont., Lugd., Trev., Rem., Vienn., Senon., Agripp., Bituric., Turon., Burdeg., Narbon., Rotom. », quibus addendæ sunt provinciæ II, Arel. scilicet & Magont., quæ verisimiliter missos delegaverant, vel postea decretis concilii assensæ erant. Hincmarus autem in epistola, archiepiscopalium provinciarum tali modo nomina intervertit : « Lugd. (i. e. Lugdun. I), Rotom. (Lugd. II), Turon. (Lugd. III), Senon. (Lugd. IV); Vienn. (Vienn. I), Arel. (i. e. Vienn. II, loco Aquisext. vel Narbon. II[5]); Vesont. (Max. Sequanorum); Magont. (Germ. I), Agripp. (German. II); Trev. (Belg. I), Rem. (Belg. II); Bituric. (Aquit. I), Burdeg. (Aquit. II); Narbon. (Narb. I). » In

---

1. Cap. 7, p. 33.

2. T. I, p. 271.

3. *Hist. de Languedoc,* ed. IIa, t. II, p. 326.

4. In Præf. videlicet (p. 160). Subscriptionum vero hicce erat ordo (p. 162, sq.) : « Vesont., Sen., Rem., Vienn., Trev., Agripp., Bitur., Turon., Burd., Narb., Lugd., Rotom. »

5. Cf. supra, cap. III, § 6, p. 59.

enumeratione sua[1], omnes Gallicanæ Ecclesiæ metropolitanas civitates exsequebatur Hincmarus, exceptis Elusatium et Alpium Maritimarum, Graiarum Penninarumque provinciis. Sicut in testamento Caroli Magni, Aquitanicæ provinciæ extremum tenebant locum. Forsan existimaverit Hincmarus Narbonensem provinciam Aquitanicam esse; certe vero antiqua romana « Notitia Galliarum » usus est, quæ tunc, Falsarum Decretalium effectu[2], pristinam recuperabat auctoritatem.

His positis, constat Hincmarum non confuse nomina metropolitanarum civitatum enumeravisse, et, quum Bituricensem Burdegalensi anteponeret, non dubitandum videtur quin inde agnoverit ab illa hanc dignitate superari, necnon et veterem romanam metropolitanorum hierarchiam, quæ de memoria merovingicorum et carolinorum prælatorum pæne exciderat, primus inter Gallicanos episcopos renovaverit.

Ne vero ultra modum in argumento nostro progrediamur, nobis fatendum est Hincmarum peculiarem doctrinam de metropolitanis civitatibus quæ non provinciæ nomine at numero tantum inter se differebant professum esse. Quamquam enim Remensis civitas Belgicæ IIæ metropolis erat, ab Hincmaro nullo modo Trevirensi civitati obnoxia habebatur, quæ tamen in « Notitia » Belgicæ Iæ metropolitana nuncupabatur[3].

Ex quo concluditur Hincmarum paria metropolitana

---

1. Quæ reperitur quoque in Præf. epist. synod. ejusdem Concilii ad rerum eccl. pervasores (p. 164).

2. Cf. infra, cap. IV, § 1.

3. Vide, ex. gr., Hincmari epist. ap. Flodoardum, *Hist. eccl. Rem.*, lib. III, c. 20; M. G. H., SS., t. XIII, p. 512.

jura Bituricensi Burdegalensique civitatibus haud dubitanter tribuisse & non sine discrepantia quadam canonicam concepisse doctrinam cujus fundamentum in « Notitia Galliarum » et in falsis Capitulis Decretalibusque invenerat.

§ 13.

Ut ad monumenta conciliorum redeamus, ex actis comperimus a^{is} 862[1] et 866[2], Suessionis, Bituricensem archiepiscopum denuo ante Burdegalensem subscriptionem apposuisse. Igitur quum, ut supra dictum est[3], VI° sæculo Burdegalensis archiepiscopus ante Bituricensem actis conciliorum subscribebat, longo post temporis intervallo, cujus causam jam enucleavimus, fit e contrario ut extremo IX° sæculo Bituricensis Burdegalensi fere semper anteponatur.

Sane Burdegalenses historici, ut Lopès, a° 1668[4], dom Devienne, a° 1771[5] & O'Reilly, a° 1851[6], notare potuerunt, non sine gaudio, Burdegalensem archiepiscopum acta concilii Trecensis, a° 867 habiti, ante Bituricensem subscripsisse[7]. Res tamen interpretationem quamdam postulat.

---

1. Tardif, *Monuments historiques*, n° 187.

2. Sirmond, *Conc. Gall.*, t. VIII, p. 302. Sed Wulfadi Bituricensis subscriptio primo loco extra ordinem post alias adjecta videtur. In synodicis epistolis concilii (ibid., p. 293, 297, 299), deest vero Wulfadi subscriptio (cf. infra, p. 75.)

3. Cf. cap. II, § 1 et § 2, p. 24 (tabel.).

4. T. I, p. 271.

5. T. II, p. 363.

6. T. I, p. 218.

7. Sirm., *Conc. Gall.*, t. III, p. 338.

Sic enim leguntur, a° 867, nomina metropolium in epistola synodica concilii ad Nicolaum papam : « Rem., Turon., Rotom., Burdeg., Senon., Bituric. » Restitutus autem est ordo metropolitanarum civitatum ab Hincmaro [1] & Flodoardo [2], quum acta concilii memoraverunt, secundum « Notitiam Galliarum » tali modo : « Rem. (Belg. II), Rotom. (Lugd. II), Turon. (Lugd. III), Senon. (Lug. II), Burdeg. (Aquit. II), Bituric. (Aquit. I). » Biturica vero extremum semper occupat locum, tam apud Hincmarum Flodoardumque, quam in actis concilii, seu quia Hincmarus Wulfado inimicus erat, seu potius propter singularem conditionem quæ tunc erat Wulfado.

Nam quum Wulfadus Bituricensis clerico gradu privatus esset in synodo Suessionensi a° 853 hab. [3]; Caroli Calvi opera, invitisvero, cum Hincmaro, episcopis nonnullis, in concilio Suessionensi a° 866 hab. restitutus erat, necnon ut Bituricensis archiepiscopus in concilio Trecensi primum regulariter agnitus est. Non igitur videtur mirandum, si, quum tantis in angustiis versaretur, subscriptionem postposuerit. Majora curabat.

§ 14.

Etenim, a° sequenti, pallio decoratus est ab Hadriano II papa, petentibus, cum Carolo Calvo, episco-

1. *Ann. Bertin.*, ed. Dehaisnes, p. 167. M. G. H., SS., t. I, p. 475.
2. *Hist. eccl. Rem.*, lib. III, c. 17. M. G. H., SS., t. XIII, p. 507.
3. Cf. infra, cap. IV, § 1, p. 79.

pis concilii Trecensis[1]. Sic, miro rerum concursu, finitur ætas carolina ut inceperat, et eodem archiepiscopali insigni honestabatur a° 868 Wulfadus quo Ermembertus, a° 786. Post octogesimum alterum annum quo metropolitana dignitas Bituricensis sedis concessione pallii a Summo Pontifice primum agnoscebatur, rursus et simili modo agnita est.

---

1. JAFFÉ, *Reg. pont.*, ed. IIa, n° 2894 (2-2 868) et 2902 (23-2 868); SIRM., *Conc. Gall.*, t. III, p. 361, col. 2 et p. 358 : Caroli Calvi et Concilii Trecensis epistolæ ad Nicolaum papam.

CAPUT IV

DE EPISTOLA NICOLAI I PAPÆ AD RODULPHUM BITURICENSEM

§ 1.

De primatiali gradu, cujus vi archiepiscopi quidam cæteris archiepiscopis sedis dignitate potius quam Papæ legatione præessent, non agitur in Gallicana Ecclesia ante falsa Capitula et Decretales quæ Benedicto Levitæ, Angilramno et Isidoro Mercatori adscripta, circa a. 850 et 860 edita sunt [1].

Quarum compilationum satis constat auctores cogitavisse de juribus episcoporum vindicandis ab usurpationibus prælatorum qui, ut chorepiscopi et archiepiscopi, quum dignitatem arguerent, episcopali potestati minabantur. Quod ad archiepiscopos attinet, ut jura eorum minuerent, cavebant ne recta fronte, ut ita dicam, eis concurrerent, sed prudentibus ambagibus contendebant auctoritatem amplificare superiorum prælatorum, ut primatum, patriarcharum, summi denique pontificis, qui, quum magno locorum spatio ab episcopis semper dissiderent, non, nisi titulo tenus, præeminentiam exercerent suam.

---

1. Vide Tardif, *Histoire des sources du droit canonique,* Paris, 1887, 8°, livre VII, chap. V, sect. 1, § 1, sqq.

Nobis non est in animo quærere quinam sint fontes e quibus falsorum capitulorum auctores exemplar hauserint primatialis dignitatis[1]. Satis erit si notabimus auctores nostros affirmavisse primo ecclesiasticum gradum necessarium esse inter metropolitanum et summum pontificem[2], et secundo primatem jus habere officio fungendi in provinciis iis quæ eodem nomine apud « Notitiam » dignoscebantur[3].

Difficile dictu est utrum magni momenti fuerint an non falsa capitula et decretales apud Bituricenses archiepiscopos. Sunt tamen quæ nobis deprehendenda esse videntur.

Quum enim Hincmarus Remensis archiepiscopus numeretur inter primos falsorum capitulorum vulgatores[4], et in scriptis suis doctrinam protulerit, cujus ratio miro modo cum falsis capitulis congruit[5], nobis non

---

1. Non hic est locus de significatione *primatialis* verbi in falsis capitulis decretalibusque subtiliter disputandi. Attamen nobis non prætermittendum est *primates* (plurativo numero), vel *superiores, summos primates,* vel *primates ecclesiæ, diœcesium, provinciarum* prælatos sive episcopos, comprovinciales archiepiscoposque multis in locis designare, potius quam metropolitanos qui metropolitanis cæteris præesse deberent. (Vide Ben. Lev., II, 309, 381 ; III, 1, 89, 153, 156, 171, 178, 460 ; Add. III, 22 ; Add. IV, 5, 8, 10, 17, 154 ; Angilr., 4 ; Isid. Mercat., Alex. 5, 8 ; Ev. 10, Fel. I pp., 4, 9). Apud Isid. Mercat., patriarcha primatis synonymon est (Anacl. 26, 29 ; Ann. 3 ; Clem. 28, Steph. II pp. 9 ; Vict. 6 ; Zeph. 2).

2. Ut hoc uno exemplo utar canonem illum proferam : « Si quis a metropolitano læditur, apud Primatem diœceseos judicetur. » Ben. Lev., III, 83 (cf. 314, 321 ; Add. IV, 25) ; Angilr., 5, 17, 25 ; Isidor. Mercat., Ann. 4, Jul. 12, Sixt. II pp. 3, Vict. 6. — Cf. *Conc. Chalced.*, c. 9, 17 ; ap. Mansi, *Concil.*, edit. Venet., t. VII (1762), col. 375, 378, 386, 389.

3. Cf. supra, cap. I, § 5.

4. Tardif, op. cit., p. 140, 145, sq.

5. Cf. supra, cap. III, § 12.

erit exigui momenti si notabimus illum cum Bituricensibus archiepiscopis Wulfado, Rodulpho et Frotario quasi quotidiana familiaritate fere semper conjunctissimum fuisse [1].

Quod ad Wulfadum Bituricensem attinet [2], propositi nostri interest eventa nonnulla vitæ ejus commemorare. Remis canonicus ordinatus erat ab Ebbone Remensi metropolitano; quæ vero ordinatio, quum a quibusdam clericis impugnaretur, quia Ebbo paulo post depositus erat, controversiam suscitavit, in qua falsa capitula decretalesque primum citata sunt. Posthac Wulfadus episcopalem sedem Lingonensis civitatis usurpare tentavit, quam vero obtinuit clericus quidam nomine Isaac, qui in breve coegit falsorum capitulorum excerpta a Benedicto Levita collecta. Bituricensis tandem metropolitanus factus est Wulfadus. Non igitur sine verisimilitudine quadam concluditur aliquando Wulfadum auctorem, aut saltem vulgatorem fuisse falsorum capitulorum.

Denique quum recentiores historici contendant falsa capitula Cenomani composita esse, notare libet Bituricensem civitatem Cenomanensi pæne finitimam esse.

Quid multa ? Conjicere, non autem probare licet Bituricenses prælatos non inexpertes fuisse falsorum capitulorum, et temere concludebat dom Vaissette, qui,

---

1. Exempli gratia, scribebat sæpe Hincmarus Bituricensibus archiepiscopis de administratione bonorum quæ Remensis ecclesia possidebat in Aquitania I^a^. (Flodoardi *Hist. eccl. Rem.;* M. G. H., SS., t. XIII, p. 514, 519, 543, 553, etc.)

2. Tardif, op. cit., p. 145, sqq., 151, sq.

missis ambagibus, scribebat[1] : « La vraie origine de la primatie d'Aquitaine [est] dans les fausses décrétales. »

§ 2.

Quantamcumque utilitatem Bituricensi sedi tunc præbuerunt falsa capitula, ex illo tempore documentum exstat vero, quod, quum summi pontificis ipsius primatialibus juribus Bituricensium metropolitanorum primum suffragium esse videatur, subtili disputatione haud indignum est.

Quippe, in epistola quæ « Susceptis beatitudinis » inscribitur[2], hisce verbis Rodulphum Bituricensem alloquebatur Nicolaus I papa[3] :

« Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigebodus archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo invito ad judicium tuum venire compellas, et de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure patriarchatus tu disponas : cum hoc neque antiquitas, cui sancti Patres sanxerunt, reverentiam habeat, et auctoritas sanctorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint per appellationes, vel si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint. Primates enim vel patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones con-

1. Op. cit., ed. IIa, t. II, p. 324.

2. Jaffé, *Reg. pont.*, ed. IIa, n° 2765.

3. P. L., t. CXIX, col. 883.

cedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus : ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur ecclesiis, præterquam si apostolica sedes aliquam ecclesiam vel rectorem ipsius, quolibet speciali privilegio, decreverit honorare. »

§ 3.

Tribus rationibus interpretati sunt historici epistolam Nicolai I papæ :

I. — Ex verbis summi pontificis concluditur primum Bituricensem primatiam a Nicolao tacite et quasi obliquo modo agnitam esse. Scribebat Hauteserre, a° 1648[1] : « Primus Nicolaus I PP. Rodulphum Bituricensem archiepiscopum primatem agnovit, et patriarchæ titulo cohonestavit. » Eodem fere modo sententiam exponit Marca[2], correctione vero quadam adhibita : « [Observandum est] Sigebodum Narbonensem, etsi conquereretur nihil licere episcopo Bituricensi jure patriarchatus in clericos et in bona ecclesiæ Narbonensis, fateri tamen posse ad eum tanquam patriarcham appellari[3]. » Deinde, quemadmodum auctores libri qui « Gallia

1. *Rer. Aquitanic.*, lib. IV, cap. 4, t. I, p. 242, sq.

2. Op. cit., ed. 1669, p. 147, sq., § 53. Notat insuper Marca Nicolaum Rodulphum Primatem et Patriarcham nuncupavisse, more loquendi arrepto ex epistolis pontificiis Isidorianæ collectionis. Cf. supra, § 1, p. 78, n. 1.

3. Adde Chenu, p. 36, sq. : « Ex quo loco [scilicet ex epist. Nicolai] concludendum est archiep. Bituric. primatem esse Aquitanicorum » ; Le Cointe, *Ann.*, t. VII, p. 163 ; Labbe, *Hist. du Berry, abrégée...*, 2e partie, § 1, ed. 1840, p. 18 ; Catherinot, *Le Patriarcat de Bourges*, 2e partie, p. 7, 8, 10, 11 ; Thaumas, p. 274, 276 ; Raynal, *Hist. du Berry*, t. I, Bourges, 1845, 8°, p. 282, sq., 292, sq.

Christiana » inscribitur ad verbum transcribebant Dadini de Hauteserre locum supra jam allatum [1], sic Thomassin Petri de Marca doctrinam persequebatur [2].

Nostris denique temporibus, Hinschius, ut solet, Thomassin auctorem habet, sed, in transferendis sententiis adeo parcus est et verecundus, tantisque verborum correctionibus utitur ut doctrina ab eo explicata obscura quidem et cum sese ipsa non consentanea esse videatur [3]. « Zur Zeit Nikolaus I, ait, wird est wahrscheinlich nur um einen Versuch der Erzbischöfe [von Bourges], auf Grund der politischen Bedeutung der Stadt, ihrer Kirche auch eine höhere kirchliche Stellung zu verschaffen, gehandelt haben. » Nobis enim notandum est per alteram partem IX^{i} sæculi Aquitaniam magnam seu regionem quæ a Ligere flumine ad Pyrenæos Gebennicosque montes pertinet, nunquam disjunctam esse. Quamquam in Aquitanico regno Bituricensis civitas caput politici ordinis non erat [4], præstantiam tamen quamdam in ecclesiastico ordine acquirere poterat. Nam, quum Burdegala a piratis vastaretur adeo ut episcopus ejus Frotarius ad Bituricensem sedem promoveretur [5], Burdegalensisque sedes ab a° 876 usque ad a. 940 vel c. deinde vacaret [6]; quum Elusana civitas c. a. 850, si Bladé [7], vel jam antea, si cæteris historicis credas, ad perpetuitatem

1. G. C., t. II, col. 26, D.
2. Op. cit., ed. 1725, t. I, p. 161. Cf. p. 249.
3. *K. R.*, t. I, p. 597. Cf. p. 573, n. 2.
4. Vide supra, cap. III, § 4, p. 52.
5. Vide infra, cap. V, § 1-3.
6. G. C., t. II, col. 798, A.
7. *Annales de la Faculté des Lettres de Bordeaux*, 1893, p. 339.

destrueretur, et Auscitana sedes non ante a. 879 metropolitana fieret[1], adeo ut Burdegala « caput regionis Novempopulanæ » a° 851 a Fontanellensi chronographo nuncuparetur[2] et a° 977 Vasatensis pontifex se « Wasconiæ episcopum » vocare adhuc præsumeret[3], sequitur ut Bituricensis civitas sola esset in Aquitania quæ tunc temporis floreret, Narbonensi quidem excepta. Jam a° 867, quum Carolus Calvus Wulfadum papæ commendabat, scribebat[4] Bituricensem sedem id ætatis Aquitanicæ « regionis principatum obtinere ». Haud igitur incredibilia nec fidem excedentia apparent Bituricensium prælatorum incepta contra Narbonensem metropolitanum.

Ibidem addit insuper Hinschius : « Zu dieser Vermuthung passt auch die Haltung des Briefes von Nikolaus I, welche kein ausdrückliches Anerkenntniss abgiebt und ebensowenig den Streit mit Narbonne durch eine bestimmte, directe Entscheidung erledigt. » Alibi vero sic ratiocinatur : « Wenn Nikolaus I in den citirten Dekretale von 864 den Erzbischof in seine Schranken zurückweist, so erkennt er doch den Primat desselben indirect dadurch an, dass er ihm das Recht beilegt, die in den Bisthümer des Bezirkes nicht zur Erledigung gelangenden Sachen zu verhandeln, und, im Fall der Vakanz eines solchen mit Genehmigung der andern Bischöfe die Verwaltung der betreffenden Kirche zu führen. »

1. G. C., t. I, col. 977, D.
2. M. G. H., SS., t. II, p. 303.
3. G. C., t. I, col. 1192, sq.
4. Sirmond, *Conc. Gall.*, t. III, p. 361, col. 2.

Leroux tandem, qui tamen non ignorat Nicolai epistolæ fidem suspectam esse[1], hoc nuperrime scripsit : « Entre 845 [a° quo secundum Leroux Auscitana sedes metropolitana facta est] et 866 [a° quo Nicolaus epistolam ad Rodulphum misit] le siège de Bourges reçut la confirmation définitive à laquelle il aspirait sur la grande Aquitaine par l'octroi du titre de patriarche à Rodolphe, son archevêque[2]. »

II. — Prudentius judicatur Nicolai I papæ epistola a commentatoribus quos in secundo genere habemus. Jam XV° sæculo auctor anonymus consultationis quam Romanæ Curiæ proponebat de lite inter Bituricensem et Narbonensem archiepiscopos primatialia jura utrosque contendentes, notabat, ut modo Hinschius, sed sine ambagibus, Bituricensem primatiam a Nicolao I papa non expresse agnitam esse[3]. Simili modo resumebatur observatio quam supra animadvertimus apud Petrum de Marca : « Nihil enim Rodulfo se tribuere profitetur Nicolaus præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit. At istos canones et antiquam consuetudinem obesse Bituricensi fusius ostendemus[4]. » Denique nonne mirandum videtur Nicolaum I papam de Narbonensi provincia tantum locutum esse, nec de

1. *La Primatie de Bourges*, p. 14.

2. Ibid., p. 10.

3. « *Consultation légale sur la prétention de primatie dans le diocèse de Narbonne de la part de l'archevêque de Bourges* », quæ e codice Vatic. 3891 transcripta legitur in « Bibliothèque nationale, Paris, manuscrits, fonds Moreau, n° 1262, f° 163-176 ».

4. La Brousse, op. cit., cap. VI, p. 30, sq.

Aquitanicis provinciis, de Elusana scilicet, vel Aquitanica IIIª et præsertim de Burdegalensi, vel Aquitanica IIª [1] ? Ad summam, negant interpretes nostri a Nicolao I papa Bituricensis sedis primatialia jura confirmata esse, tam in se, quam super Narbonensem Aquitanicasque ecclesiasticas provincias.

III. — Nunc prorsus contendunt historici de quibus tertio pauca nobis sunt dicenda Nicolai I papæ epistolam auctoritate carere, fidei defectu. « Ex epistola Nicolai I ad Rodulphum archiepiscopum Bituricensem, inquit Baluzius[2], videretur Sigebodum fuisse archiepiscopum Narbonensem ab anno saltem 866, quo obiit idem Rodulphus. Et tamen constat Fredoldum eam cathedram tenuisse ab anno saltem 860 usque ad annum 873, quo interiisse videtur. » Huc adjice quod Nicolaus I papa a° 867 mortuus est, Sigebodo Narbonensis civitatis episcopalem sedem ab a° 873 ad a. 885 tenente. Luce clarius constat igitur Sigebodum querelam nullam habuisse de Rodulpho apud Nicolaum. « Ita res magnam habet difficultatem », quam non Baluzius solum, verum etiam et dom Vaissette[3] et Thomassin[4] quoque et dom Devienne[5], qui concludit

1. Lopès, op. cit., p. 270, sq.

2. « Bibliothèque nationale, Paris, fonds dit des armoires de Baluze », t. LXII, f° 45 et 192. Adde Marca, *Marca hispanica*, Parisiis, 1688, f°, lib. IV (auctore Baluzio), col. 360. E contra vide Baluz. *Capit.*, t. II, col. 1072.

3. *Histoire de Languedoe*, t. II, ed. IIª, p. 324.

4. Loc. jam supra cit., p. 161 : « Si cette lettre... est bien avérée, elle confirme sans doute le patriarcat, c'est-à-dire la primatie de Bourges sur Narbonne même. »

5. Op. cit., t. II, p. 364.

epistolam Nicolai totam falsam esse, jam animadverterunt.

Nunc vero maturum est ad disputationem ipsam aggredi.

§ 4.

Ante omnia nobis necesse est de textu epistolæ inquirere.

Desideratur vero authenticum exemplar. Deleta sunt Nicolai I papæ regesta[1]. Uno excepto solo, de quo infra sermo erit, silent codices, in quibus Nicolai servantur epistolæ. Quinimo undecumque siletur, a IX° usque ad XI^{um} sæculum.

Interjectis ducentis et quinquaginta ferme annis, postquam summi pontifices tunc demum primatialem gradum in Gallicana Ecclesia instituerunt (a^{is} 1079-1095), identidem (a^{is} scilicet 1097[2], 1099 vel 1100[3], et 1111[4]) citabat Yvo Carnotensis in litteris suis, si non Nicolai I epistolam, excerpta vero ejus, quæ ut papale responsum afferebat, non ad primatialia jura Bituricensis sedis defendenda, sed tamquam legitimum argumentum.

---

1. De quibus disputaverunt Coustant (*Analecta juris pontificii*, t. X, a° 1869) et Pitra (*Analecta novissima*, t. I, Paris, 1885, 8°, p. 113, sq., 147, 852). Cf. *Archiv* et *Neues Archiv*, passim, sed præsertim Gundlach, *Neues Archiv*, t. XII, 1887, p. 463-476.

2. Yvonis Carnotensis ep. 60 et 65 (H. Fr., t. XV, p. 92 et 97 ; P. L., t. CLII, col. 82).

3. Ejusdem, ep. 83 (P. L., t. CLII, col. 104, sq.).

4. Ejusdem, ep. 236 (H. Fr., t. XV, p. 157, sq. ; P. L., t. CLII, col. 238).

E quibus hauserit fontibus, non liquet; videtur vero Yvo Carnotensis non dubitavisse de auctoritate responsi, quod ex epistolis in juridicos libros suos transtulit. Legitur enim Nicolai responsum in Decreto dicto Yvonis, deinde in Panormia quam Yvo extremo XI° sæculo componebat; describebatur posthac (?) in Collectione III Partium (c. a. 1099), in Collectione dicta Cæsarea Augustana (c. a. 1118); notabatur tandem a Magistro Gratiano in Decreto ejus (c. a. 1139-1148) tali modo ut legitime reciperetur in « Corpore juris canonici[1] ».

Ex eo tempore celebrabatur epistola Nicolai I nomine « Can. conq. », atque crebro citabatur. Invenitur primum XIII° sæculo in anonymo opusculo « de Aquitania » inscripto[2]. Jam vero antea, c. a. 1126-1134, Stephanus Parisiensis episcopus responsum Nicolai instar Yvonis allegaverat[3].

Attamen nobis notandum est summos pontifices nunquam epistolam Nicolai, vel excerpta Yvonis Corporisve juris canonici, laudavisse aut confirmatione quadam approbavisse. Idque eo mirabilius videtur quod non solum regesta Nicolai in romano ærario adhuc conservabantur, verum etiam per XII^{um} & XIII^{um} sæculum, frequentes et numerosæ fuerunt pontificales epistolæ

---

1. Vide Friedberg, *Corpus juris canonici*, t. I, p. 608, n. 131; Sdralek, *De S. Nicolai PP. I epistolarum codicibus quibusdam manuscriptis* (Wratislaviæ, 1882, 8°), p. 28, 29, 31; Theiner, *Disq. crit.* (Romæ, 1836, 4°), App. II. Cf. Tardif, op. cit., p. 170-172.

2. Ap. Labbe, *Nov. Bibl. mss.*, t. II, p. 731 *bis* : « Secundum antiquos et Isidorum, Narbonensis Bituricensi Primati suberat, ut dicit Decretum IX c. conq. ».

3. H. Fr., t. XV, p. 329.

quæ de Bituricensi primatia agebant. Sane contendit dom Devienne[1] Alexandrum III papam Nicolai epistolam quondam laudavisse. Errat vero, et fallaciter. Constat enim Alexandrum III papam a^is 1164/65 & 1180 protectionem Bituricensis ecclesiæ suscepisse[2] & a° 1177 privilegia ejus, tam primatialia quam metropolitana & episcopalia confirmavisse[3]; quibus in bullis frustra quæres Nicolai epistolæ vestigia. Quin potius, ignorabatur Nicolai epistola, cujus fragmentum « Can. conq. » dictum, tantum vulgatum erat.

Ita res se habebat ab extremo XII° sæculo, quum repente, a° scilicet 1615, Lemovicensis clericus nomine Cordès[4] epistolam Nicolai tandem invenit[5] et vulgavit[6].

---

1. Op. cit., t. II, p. 364.

2. 4-2 1164/65, Jaffé, *Reg. Pont.*, edit., II^a, n° 11109; 9-2 1180, ibid., n° 13606; necnon epist. quarum annum et diem ignoramus (n^is 1376, 1377, 1378, 1379, 1380, ab a° 1159 usque ad a^um 1181).

3. 21-8 1177, Jaffé, *Reg. Pont.*, edit. II^a, n° 13606.

4. Jean Decordes (vel Cordesius) natus a° 1570, Lemovicensis canonicus factus, mortuus est a° 1642. Vide *Elogium* ejus, auctore Gabriele Naudæo, in *Bibliothecæ Cordesianæ Catalogo*, Parisiis, 1643, 4°.

5. In codice Thuano, dein Colbertino (n° 2576) et Regio (n° 3887), nunc gallice sic nominato : Bibliothèque nationale, manuscrits, fonds latin, n° 1458. Vide descriptionem ejus in *Anal. jur. pontif.*, t. X, a° 1869, et in *Catalogo codicum mss. Bibliothecæ regiæ*, t. III, p. 118 (Parisiis, 1744, f°). Cordesii codex constat ex fragmentis variis a glutinatore conjunctis, inter quæ id quod f^a 162-200 comprehendit, 39 epistolas Nicolai, sub fine XI^i aut initio XII^i sæculi, ut videtur, descriptas, continet. Epistola quæ *Susceptis beatitudinis* inscribitur, antepænultimum in fragmento occupat locum (a f° 197, v°, ad f^um 200, v°). Eodem codice usus est Sirmond, *Conc. Gall.*, t. III, p. 235; cf. p. 683, sq.

6. In libro qui inscribitur : « *Opuscula et Epistolæ Hincmari Remensis Archiepiscopi, accesserunt Nicolai PP. I et aliorum eiusdem ævi quædam epistolæ et scripta.* » Lutetiæ Parisiorum, 1615, 4°, p. 715-718.

Omissis prooemio et conclusione, de quibus infra locuturi sumus, talibus verbis concipitur, in Cordesii codice, epistola Nicolai : « *Caput I.* A corepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes presbyterorum et diaconorum effectas, quos quidam episcoporum deponunt, quidam vero denuo consecrant. Nos vero dicimus, nec innocentes opportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes. Ad formam enim Septuaginta corepiscopi facti sunt, quos quis dubitet episcoporum habuisse officia? Sed quia sacri canones [vetant][1] ne omnes sibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas episcoporum ad corepiscopos suos videatur transferri, fiatque vilior honor episcopi..., decernimus nihil in hoc præter regulas ulterius fieri. *Cap. II*[2]. Primates autem nihil privilegii habere præ ceteris, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, difinimus : ita ut secundum Nicenas regulas sua privilegia serventur ecclesiis : præter[quam] si apostolica sed[es] aliquam ecclesiam, vel rectorem ipsius, quolibet speciali privilegio decreverit honorare. » E tabulis Philippi Jaffé[3] sumamus nunc brevem indicem sequentium responsorum : « [Scribit Nicolaus] III. Nec presbyteris, nec diaconis, cum ordinentur, more Romano manus chrismatis liquore perungi ; IV. De iis qui pro criminibus pœnitentiam gerunt ; V. De iis qui filiastros suos, i. e. filios uxoris suæ de viro priori, ad confirmationem coram episcopis teneant ; VI.

1. *Vetant* deest in codice.
2. Cf. supra, § 2.
3. *Reg. Pont.*, ed. IIa, no 2765.

De interfectoribus suarum conjugum; VII. « Gloria in excelsis Deo » ab episcopis in cœna Domini inter missarum solemnia dicendum esse. »

Apparet igitur Nicolai I epistola ut series « responsorum », e quibus sub numero II inscribitur id quod verbum « primates » continet. Apud Yvonem Carnotensem et in Corpore juris canonici, responsum Nicolai, vel « canon *conquestus* » in duas partes dividebatur, quarum una papalem « definitionem », altera historicum « commentarium » afferebat. Deest vero commentarium de Sigebodo Narbonensi in epistola. Huc adjice quod variæ lectiones inveniuntur in epistola cum responso vel canone collata : pro « enim » legitur « autem »; verba « vel patriarchas » et infra « episcopis » deficiunt. Sunt denique in codice verba duo quæ Cordès, sane et recte ut quidem videtur, correxit juxta definitionem canonis : nam « præter » nobis legendum est « præterquam, » necnon et « sed », « sedes », ut quiddam significet definitio Nicolai.

Haud dubium est quin codicis lectio Corporis vel Yvonis lectioni nobis anteponenda sit. Concluditur ergo responsum non genuinum esse, commentario enim interpolato. Prorsus, si commentarium non γνήσιον est[1], quum in eo solum, exclusa quidem definitione, Sigebodus nominaretur, necnon in eo solum legerentur verba Nicolai quæ Bituricensi prælato pri-

1. Utpote pontificali inhærens epistolæ : nam per se commentarium nostrum figmentum quoddam forsitan non est. Potest enim fieri Sigebodum (873-885) apud Romanum Pontificem conquestum esse de inceptis seu Bituricensis prælati (vide supra, § 3, I, p. 82, sq.), seu potius Rostagni (871-913) Arelatensis archiepiscopi (vide infra, § 6, III, p. 96).

matiam attribuere viderentur, infertur primo evanescere difficultates quæ de fide definitionis ipsius dubio locum dabant, itemque secundo erravisse historicos qui epistolam Nicolai prout Bituricensis primatiæ authenticam confirmationem legebant. De primatiali dignitate loquebatur quidem papa in epistola, sed generaliter et in abstracto, nec tamquam primati cuidam constituto, scilicet, in specie, Bituricensi metropolitano.

§ 5.

Verum, seu generaliter, seu peculiariter, cur de primatia Nicolaus I papa ad Rodulphum Bituricensem scripsit? Aut, si papa responsa rescripserit sua Rodulpho Bituricensi de primatia interroganti, cur Rodulphus de primatia ad Nicolaum I papam scripsit? Nodum expedire non potuimus. Conjecturas vero duas finximus.

§ 6.

Conjectura Iª. — *Argumentum Ium.* — Quarum primam ex eo cepimus ante omnia quod Nicolai epistola Rodulpho Bituricensi, epistolæ ejusdem Nicolai Rotlando Arelatensi[1] persimilis esse videtur, verbis tam procemii quam conclusionis. Quod indicatur infras-

1. 12-5 864, Jaffé, ed. IIª, nº 2757 ; P. L., t. CXIX, col. 1180. Cf. Gundlach, *Der Streit der Bisthümer Arles und Vienne um den Primatus Galliarum*. Erweiterter Separatabdruck aus dem *Neuen Archiv der Gesellschaft für ältere Geschichtskunde*. Hannover, 1890, 8º, p. 19, 31, sq.

cripta collatione, in qua variæ lectiones *italicis* litteris notantur.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, *reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Rodulfo sanctæ Bituricensis Ecclesiæ* archiepiscopo.

Susceptis *sanctitudinis*[1] tuæ litteris, humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus, tuamque a multis retro temporibus erga sedem apostolicam agnitam devotionem plurimum *collaudamus,* atque, ut in hoc salubri proposito perseveres, fraternitatem tuam obnixius adhortamur. Sic enim *et* sanctæ conversationis pedem quo tendere debeas, perspicacius *prænoscere* poteris, et supervenientia pravorum jacula prævidere et declinare liberius, revelante Domino, prævalebis, si in apostolicæ sedis petra, more majorum, præsidium tuum locaveris ejusque fidei, *doctrinæ,* vel decretis arctius inhærere contenderis; quam ille sua sacravit sessione, quem Dominus *Jesus* Christus Ecclesiæ suæ primum et speciale retinere fastigium, quin et cœlestis atrii delegit summum constituere janitorem. *Igitur... de quo lo-*

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, *Rotlando* archiepiscopo *Arelatensi.*

Susceptis *sanctitatis* tuæ litteris, *totius* humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus, tuamque a multis retro temporibus erga sedem apostolicam agnitam devotionem plurimum *commendamus,* atque, ut in hoc salubri proposito perseveres, fraternitatem tuam obnixius adhortamur. Sic enim sanctæ conversationis pedem, quo tendere debeas, perspicacius *cognoscere* poteris, et supervenientia pravorum jacula prævidere et declinare liberius, revelante Domino, prævalebis, si in apostolicæ sedis petra, more majorum, præsidium tuum locaveris, ejusque fidei *doctrinis* vel decretis arctius inhærere contenderis; quam ille sua sacravit sessione, quem Dominus *ejus* Christus Ecclesiæ suæ *voluit* primum et speciale retinere fastigium, quin et cœlestis atrii delegit summum constituere

1. Sic in codice, non *beatitudinis*.

quimur, beato videlicet Petro, quamvis solito nunc angustius ecclesiasticis simus occupati negotiis, et ob id respondere tuis spatiosius nequeamus consultibus, tamen sancto tuo satisfacere desiderio cupientes, aliqua ex his inspirante Deo cursim exponere non omittimus.

[Sequitur corpus epistolæ.]

Hæc quidem inter tanta ecclesiasticorum negotia positi, vix saltim summatim fraternitati tuæ mittenda decerpsimus. Quæ nisi incomparabilis dilectio vestra nos memorata vehementius coarctasset, nunc respondere consultibus vestris, innumeris impediti necessitatibus, parumper omitteremus. Verum a charitate tua unum hoc necessario postulamus, scilicet ut cum aliquem *forte* ad apostolicam sedem miseris, studeat eum tua *fraternitas monere,* quatenus in redeundo non usquequaque festinus appareat; eo quod omnium Dei *ovium,* sicut ipse nosti, cura constringimur, et cum undique ad sedem apostolicam multi diversa quærentes confluant, efficimur tardi ad singulos, dum volumus benignitatem et dapsili-

janitorem, *quod jam beatitudinem tuam strenue persequentem debitis attollimus omnino præconiis non solum in hoc, verum etiam in eo, quod apostolatum nostrum ad perseverantiam cohortaris. In quo enim tam manifeste nostrarum sanctionum et decretorum ostendere te poteris esse custodem, quam in eo, quod nostram quoque soliditatem supra firmam petram fundatam ut in his persevere, studiosius animare procuras?*

[Sequitur corpus epistolæ.]

Mittere autem nobis legatos vel litteras tanto libere debetis, quanto charitas, qua circa sanctitatem tuam flagramus (quam latum mandatum psalmographus nuncupat), intra sinum amplitudinis suæ omnes recipit, omnes fovet, et protegit proximos suos; quia juxta apostolum Paulum « benigna est et omnia suffert » [I Cor., XV]. Verum a charitate tua unum hoc necessario postulamus, scilicet ut cum aliquem ad apostolicam sedem miseris, studeat eum tua *monere fraternitas,* quatenus in redeundo non usquequaque festinus appareat; eo quod omnium *ecclesiarum* Dei, sicut ipse nosti, cura constringimur, et cum undique ad sedem apostolicam multi diversa quærentes confluant, efficimur tardi ad singulos, dum

tatem *nostram* spargere per diversos. *Sane* quæ in alia nostri apostolatus epistola beatitudini tuæ intimamus, solum tuæ solertiæ sint pervigili cura sectanda, præcipuoque studio peragenda. Si quidem circa nos, circaque sedem beati Petri, non est aliud signum devotionis tuæ *quod* polliceris, nisi obtemperantia et consummatio decretorum, et diffinitionum nostrarum, qui, licet indigni, per abundantiam tamen gratiæ Christi ipsius vicarii sumus. *Præterea epistolam alteram sanctitati tuæ delatam, Hincmaro et cæteris confratribus nostris archiepiscopis in regno Caroli filii nostri gloriosi regis Ecclesiam Domini gubernantibus, destinare tua sine mora studeat beatitudo. Optamus sanctitatem tuam nunc et semper bene valere.*

volumus benignitatem et dapsilitatem spargere per diversos. *Illud autem valde placuit, unde etiam immenso tripudio exsultavimus, scilicet, quoniam ab apostolatu nostro sciscitati quid tua sanctitas sequi debuisset, prudentissime decrevisti. Verum quamvis multa sint quæ tibi mittere possimus : interim tamen* quæ in alia nostri apostolatus epistola beatitudini tuæ intimamus, solum tuæ solertiæ sint pervigili cura sectanda, præcipuoque studio peragenda. Si quidem *quæ* circa nos, circaque sedem beati Petri, non est aliud signum devotionis tuæ, *quam* polliceris, nisi obtemperantia et consummatio decretorum et definitionum nostrarum, qui licet indigni, per abundantiam tamen gratiæ Christi, ipsius vicarii sumus. *Data mense Maii, die XII, indictione XII.*

Tantæ similitudinis cur in epistolis ipsis, quarum una alterius fons esset, causa non versaretur ?

Argumentum IIum. — Tam in prooemio quam in conclusione litterarum binarum Rodulpho Rotlandoque inscriptarum, verba similia verbis dissimilibus continuantur, tali modo ut ambigendi materiam præbeant de fide, vel potius, ut hoc franco-gallico verbo utar, de « authenticité » epistolæ Rodulpho adscriptæ.

Initio epistolæ, adeo inepte inter se connectuntur

sententiæ, ut periodus quæ cum verbo « Igitur » incipit, intellectu carere videatur. Quod jam animadvertebat dom Coustant, qui scribebat[1] XVIII° sæculo : « In ms. Colbertino, ex quo hanc epistolam primum vulgatam opinamur, relinquitur hic spatiolum duarum circiter vocum, quæ penitus sunt obliteratæ. Potest suppleri his « eo adjuvante » aut « ejus subsidio freti », aut similibus verbis. » Sed, accepta quidem correctione, fatendum est epistolam Rotlando adscriptam in contextu & continuatione sententiarum nullam ejus modi habere difficultatem.

Quum, in conclusione epistolæ Rodulpho adscriptæ sententia quæ ab « Hæc quidem » usque ad « omittimus » exponitur, nullo modo cum periodo sequenti, quæ cum verbis « Verum a charitate » instituitur, cohærere videtur, in epistola vero Rotlando adscripta, sententia a verbis « Verum a charitate » incepta explicat et ordine lucido continuat verborum ambitum a « Mittere autem » usque ad « et omnia suffert ».

Hoc denique notatione non indignum videtur quod in similibus locis ambarum epistolarum Nicolaus I papa de alteris litteris quibusdam & eisdem prælatis adscriptis locutus est.

Argumentum III^{um}. — Nunc vero observemus quomodo ad prima extremaque membra corpus litterarum, ut ita dicam, annectatur.

Ut supra dictum est, componitur epistola quæ Rodulpho adscribitur ex responsis, quæ quum genera-

---

1. *Analecta juris pontificii,* t. X, a° 1869, p. 111.

liter et ἀνωνύμως exprimerentur, metropolitano cuilibet haud aliter ac Bituricensi imputanda videntur. Cæterum si Rodulphus Nicolai responsa accepisset, non dubitandum est quin de iis mentionem fecisset in opere suo de canonico et ecclesiastico jure [1]. Responsa vero prætermisit, sic quasi ea ignorasset.

E contrario, mirabiliter Arelatensi metropolitano aptatur epistola quæ Rotlando adscribitur. Collaudat enim Nicolaus I papa Rotlandum, apostolicæ sedi devotum, perseverantiamque ipsi suadentem. Scire se scribit decessores ejus suorum decessorum vicarios in Galliæ partibus fuisse, eique, si promissa perfecerit, majora pollicetur. Legatorum litterarumque ad se mittendorum facultatem ei concedit. Quæ aliis litteris mandaverit uti ea diligenter exsequatur, monet. Quemadmodum membra corpori litterarum, sic litteræ ipsæ Rotlando plane conveniunt. Pristinum apostolicum vicariatum Arelatensis sedis commemorat Nicolaus, et quamquam in antiquum honorem Rotlandum non restituit, eum licentiæ commonefacit directo cum sancta sede communicandi. De quo casu quam ob causam tacuerint Gundlach [2] & Duchesne [3] nescimus : haud vero dubium est quin laudanda sint hæcce verba a dom Bouquet scripta [4] : « Rotlandus a° 864

1. P. L., t. CXIX, col. 703-725, cap. 1-45.

2. *Der Streit der Bisthümer Arles und Vienne,* p. 207 ; cf. p. 19, sq.

3. *La Primatie d'Arles,* p. 232 : « Florian reçut encore le pallium, mais les pièces relatives à cette décoration ne parlent plus, comme autrefois, d'une collation de pouvoir. (Jaffé, 2001, sq. ; 23-8 613.) Il n'en est plus question avant le temps du pape Jean VIII et de l'archevêque Rostaing (878). »

4. H. Fr., t. VII, p. 107, n.

vicariatum sedis apostolicæ a Nicolao Papa petierat, sed irrito conatur. »

Prorsus, quum apostolicus vicariatus de quo in Nicolai epistola mentio fit primatiali dignitati quondam æquipararetur [1], nobis apparet facultas suspicandi responsum de primatia quod in epistola Rodulpho adscripta legitur, Rotlando forsitan missum esse. Quum denique papa in epistola Rotlando adscripta eum recrearet quod pristinam Arelatensis sedis primatialem dignitatem non relevaret, et in epistola Rodulpho adscripta singularem prærogativam primatibus denegaret, constat epistolas duas mira concordia inter se conjungi, tali modo ut responsum quod Rodulphus accepisse putaretur, Rotlando potius traditum esse videretur.

Argumentum IVum. — Quum medii ævi librarii primas nominum litteras, quæ franco-gallice « initiales » vocantur, loco totius nominis transcribere solerent, Rotlandi vero simul ac Rodulphi nominibus ab eadem littera *R* initium accipientibus, erratum est, ut videtur, in imputanda Nicolai epistola, eo quidem facilius quo exempla posterius exscriberentur : atqui codex unicus noster extremo XI° sæculo, nec antea componebatur.

Argumentum Vum. — Dies in epistola Rodulpho adscripta non apponitur. Sane, licet semper conjectu-

1. P. L., t. CXIX, col. 939, lit. A. Epist. Nic. I ad Michaelem imperatorem, a° 865, *Proposueramus quidem* inscripta : «... et Sabaudum fratrem et coepiscopum nostrum Arelatensis civitatis antistitem, cujus ecclesia in regionibus Gallicanis primatus privilegio et sedis apostolicæ vicibus decoratur. »

ras facere. Quum, exempli gratia, in epistola Rodulpho adscripta, papa de epistola altera eidem Rodulpho missa loquatur, et Rodulphus ipse, a° 863[1] vel 864[2] epistolam « Nuper fratres » inscriptam a papa acceperit; quum litteræ binæ Rodulpho adscriptæ cum epistola quam Nicolaus Adoni Viennensi misit a° 864[3] congruant[4]; quum litteræ Rodulpho et Rotlando adscriptæ propter eam causam quod eodem tempore compositæ sint, mira similitudine conjungantur, et litteræ Rotlando adscriptæ a° 864[5] scriptæ sint; quum Rodulphus Bituricensis « archiepiscopus Aquitanorum » ab Adone Viennensi (qui chronicon suum a° 866 componebat) nominetur, nec tanti nominis gloriam meritus sit, ut aiunt[6], nisi Nicolai litterarum beneficio; quum denique in epistola Rodulpho adscripta, papa de epistola Hincmaro directa loquatur[7], et Hincmarus a° 867[8] litteras quæ « Omnium nos posteri » inscribuntur acceperit, concluditur diverse Nicolai litteras Rodulpho adscriptas et « Susceptis sanctitatis (vel beatitudinis) » inscriptas annis c. 863, vel 864, vel 866, vel 867 scriptas esse. Satius videtur simpliciter fateri litterarum diem incognitam esse. E contrario epistola Rotlando adscripta illo fidei diplomatico signo non caret.

---

1. Coustant, in *Annal. jur. pontif.*, t. X, a° 1869, p. 62.
2. Jaffé, *Reg. Pont.*, ed. IIa, n° 2764.
3. 30-3 864, Jaffé, *Reg. Pont.*, ed. IIa, n° 2755.
4. Coustant, loc. cit., p. 71.
5. 12-5 864, Jaffé, *Reg. Pont.*, ed. IIa, n° 2757.
6. Hauteserre, *Rer. aquit.*, lib. VIII, cap. 2, t. II, p. 214.
7. Mansi, *Concil.*, edit. Venet., t. XV (1770), col. 466 et 470.
8. 23-10 867, Jaffé, *Reg. Pont.*, ed. IIa, n° 2879. Rodulphus vero mortuus est a° 866.

Argumentum VIum. — De septem responsis quæ in epistola Rodulpho adscripta leguntur, sex inveniuntur in Decretalibus[1]. Nam non solum « canon conq. » qui in Cordesii codice ut « caput II », designatur, verum etiam capita III, IV, V, VI et VII codicis ut « Distinct. 23, Præterea », « 26. q. 7, De his vero », « 30. q. 1, De his qui », « 33. q. 2, Interfectores » et « De consecrat. D. 1, Porro » in Corpore juris canonici servantur. Adde quod pars prior capitis VII jam apud Isidorum Mercatorem legitur[2]. Responsi quod restat originem sane ignoramus. Quum vero codex noster Corpori æqualis sit, responsa ex canonibus facta esse videntur, perinde tamquam canones ex responsis.

Conclusio. — Ad summam, epistola Nicolai Rodulpho adscripta notha est, ut ita dicam. Ex fragmentis diversis composita est, quorum alia in epistola Rotlando adscripta inveniuntur, alia seu rursus in epistola Rotlando adscripta, si, ut fieri potest, verba ejus non integre servata sint, seu potius in Decretalibus et in Corpore juris canonici. Incertum quidem est utrum medii ævi monachi per inscitiam erraverint, quum codices exscripserunt, an origo epistolæ Rodulpho adscriptæ repetenda sit e fraude quæ non dissimilis videretur ejus quam Gundlach subtiliter notavit in libro suo « *Der Streit der Bisthümer Arles und Vienne um den Primatus Galliarum* » inscripto[3]. Constat vero

---

1. Friedberg, *Corp. jur. canon.*, t. I, Præf., p. XXX ; Cochlæi *Regest.*, P. L., t. CXIX, col. 1183-1199.

2. Telesph. 3, ed. Hinschius, p. 111, sq.

3. Necnon ejusdem fraudis quam supra (cap. II, § 4) jam suspicati sumus.

Nicolaum I papam in epistola Rodulpho archiepiscopo adscripta Bituricensem primatiam neque expresse neque tacite confirmavisse.

§ 7.

Conjectura IIª. — Conjectura quam explicavimus non solum controversiis implicata, verum etiam « onerosa », ut hoc dialecticæ artis verbo utar, videtur, quum fidem deneget alteris vel alterutris papalibus litteris. Conjectura vero quæ sequitur simplicior est, et adeo directa ut in eo tantum consistat quod verba Nicolai per se legenda sunt, integro animo et libero, sine ulla immatura primatiæ præceptione.

Hoc igitur probe stabilito et fixo, statim deprehendimus capita I^{um} et II^{um} codicis nostri unitatem quamdam facere, ita ut alterum sine altero intelligi non possit. Sane, nobis non negligendi sunt numeri quibus signantur et secernuntur responsa in codice, dubium tamen videtur quin magni momenti locum obtinere debeant. Nam, in extrema parte epistolæ numero caret caput quod ut septimum ab editoribus notatur. Si igitur capita I^{um} et II^{um} simul et conjuncta releges (quorum verba jam supra exscripsimus), ea interpretabere ad hunc prope modum :

A VERBIS.	USQUE AD VERBA.	INTERPRETATIO VERBORUM.
A chorepiscopis .	consecrant. .	Episcopi quidam pro irrito habent ordinationes a chorepiscopis celebratas ;
Nos vero	consecrantes .	Injuria vero :

A VERBIS.	USQUE AD VERBA.	INTERPRETATIO VERBORUM.
Ad formam . . .	officia. . . .	Nam chorepiscopi episcopi sunt quodam modo,
Sed quia	fieri.	Officia autem omnia episcoporum vindicare non debent,
Primates autem .	honorare. . .	Atque similiter non licet metropolitanos (i. e. primates) episcoporum jus præcipere.

Ita Nicolaus I papa, reciproca jura episcoporum, chorepiscoporum et archiepiscoporum definiens, curat ne episcopi vexentur quum a chorepiscopis tum ab archiepiscopis.

Nunc autem quæstio oritur de significatione primatialis verbi apud Nicolaum : ambigitur enim utrum primas metropolitanum an non designet.

Significatio I^a primatialis verbi. — Primas est qui primum obtinet locum in hominum societate[1]. Frequentius autem notio quæ primatiali verbo subjicitur non tam generalis apparet apud Nicolaum, qui curam primatiæ in Ecclesia tantummodo agere solebat.

Significatio II^a primatialis verbi. — Inter prælatos quatuor gradus discernebat Nicolaus, episcopalem scilicet, et metropolitanum et patriarchalem et denique papalem[2]. De primatiali gradu silebat et tacebat.

1. Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, P. L., t. CXIX, col. 988, lit. B; cf. ep. ad Arduicum archiep. Vesont., ibid, col. 920, lit. C; ad nobiles Aquit., ibid., col. 1114, lit. B.

2. Vide Responsa Nicolai ad consulta Bulgarorum, P. L., t. CXIX, col. 978, sqq., præsertim, cap. 72, 73, 92, 93.

Patriarchales dicuntur sedes quæ ab apostolis conditæ sunt. Tres agnoscebat patriarchatus Nicolaus, quos enumerabat dignitatis ratione, Romam videlicet, dein Alexandriam et postremo Antiochiam. Romanus vero patriarcha occidentalem Ecclesiam totam regebat et honore antecedebat Alexandrinum Antiochensemque patriarchas, papalis juris beneficio. Inde sequitur ut patriarchalis vigeret titulus in orientali demum Ecclesia[1]. Itaque Nicolaus patriarchalem dignitatem fere semper omittebat quum occidentales christianos alloquebatur. Ita fit ut, Gallicos vel Italicos clericos ecclesiasticam docens doctrinam, vix ter patriarchalem dignitatem commemoraverit, scilicet in consultatione Mediolanensibus mandata[2] et in litteris binis quarum alteras ad Hincmarum Remensem[3], alterasque (mirabile dictu) ad Rodulphum Bituricensem[4] mittebat. Cæterum, nunquam obliviscebatur Nicolaus obedientiæ a patriarchis Sanctæ Sedi debitæ.

Sunt denique metropolitani, ut Constantinopolitanus

---

1. P. L., t. CXIX, col. 773, sq., ep. Nicolai ad Michaelem imp. ; 783-5, ad omnes fideles ; 785-90, ad Photium ; 791, sqq., 850, sqq., 914, 943-45, 950, 1019, 1304, ad Michaelem imp. ; 1046, ad Photium ; 1054, ad Burdum Cæsarem ; 1058, sq., ad Ignat. Patr. ; 1067-9, 1071, 1074-77, 1083, ad Clerum Constantin. ; 1090, ad senatores Constantin. ; cf. responsa jam supra cit. ad Bulg., necnon col. 867, sq., ad Vitalem Gradensem patriarcham.

2. P. L., t. CXIX, col. 1185, lit. D: Decret. Grat., Dist., 22, c. 1, Mediolanensibus. Vide vero Jaffé, *Reg. pont.*, ed. IIª, nº 4424, qui canonem illum Nicolao II imputat.

3. P. L., t. CXIX, col. 1160, lit. B, ad Hincmarum et cæteros episc. in regno Caroli constitutos.

4. P. L., t. CXIX, col. 882, lit. C, ad Rodulphum Bituric. archiep. ejusque coepiscopos.

et Hierosolymitanus, qui contendunt se patriarchas esse. Errant, inquiebat Nicolaus. Etiam quum traditum ab antecessoribus suis morem servabant, et patriarchali titulo se ornabant, certis patriarchalibus juribus non fruebantur, adeo ut apud eos patriarchalis dignitas haud secus ac metropolitana esse videretur.

Nam, Alexandrino Antiochensique patriarchis quidem exceptis, negabat Nicolaus prælatum quemcumque medium esse inter papam et metropolitanos. Citantur sane historica monumenta quæ medium gradum patefacere videntur : est præsertim canon quidam concilii Chalcedonensis qui de « primate diœcesis » quem appellare a metropolitano licet episcopis, mentionem facit[1]. Sed, quid mirum ? aiebat Nicolaus[2] : primas diœcesis nonne papa ipse est ? Nullo prælato medio imperat igitur Papa metropolitanis omnibus, jure primatus[3]. Ne multa : papa est primas omnium metropolitanorum.

Dixit enim Jesus Christus Petro primo Romano episcopo : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Divini illius verbi beneficio, præest Romana Sedes metropolitanis simul ac patriarchalibus sedibus. Sed quid opus est plura ? Papalis juris est ecclesiasticus primatus, atque papa primas est

---

1. Vide supra, § 1, p. 78, n. 2.

2. P. L. t. CXIX, col. 944, sq., ad Michaelem imp.

3. P. L., t. CXIX, col. 785, D, 786, B, 788, C, ad Photium ; 941, C, ad Michaelem imp. ; 1078, A, ad clerum Constantinop. ; 1101, B, ad episc. syn. Suess. ; 822, B, 1157, B, 1158, B, ad Hincmarum ; 1186, D, Decret. Grat., 17. q. 4, Nemini. (Non quidem constat canonem illum Nicolao I certe assignandum esse.)

tam patriarcharum quam metropolitanorum : nunc habes secundam significationem primatialis verbi apud Nicolaum[1].

Significatio IIIa primatialis verbi. — Ad reliqua vero pergamus. Quemadmodum papa metropolitanorum primas, sic metropolitanus episcoporum « primas » vel potius « primus » est[2]. Nam, in Ecclesia, ducitur auctoritas ab episcopali dignitate sola. Papa romanus est episcopus. Nec aliter metropolitanus, episcopus quoque est; primus habetur inter pares, primam provincialem obtinet sedem, primam sententiam dicit in synodo suffraganeorum suorum. Denique, ut summus pontifex summo primatu in Ecclesia, sic metropolitanus episcopus primatu quodam in Provincia fruitur. Itaque Nicolaus in litteris suis primatiali titulo decorabat Hincmarum Remensem[3] et Adonem Viennensem[4] metropolitanos, perinde atque patriarchas habebat pro metropolitanis.

Conclusio. — Hoc probato, consequens esse videtur « primates » metropolitanos designare in epistola Nicolai Rodulpho Bituricensi adscripta. Quæ interpretatio verbi non credibilis solum, verum etiam necessaria est. Nam quum in epistola verbum « primates » plurativo numero scribatur, de papale primatia certe non agitur, quæ, quia universalis, unica est, et singularem numerum semper requirit.

---

1. Cf. Hauck, *K. G. D's,* t. II, p. 491, sqq.
2. P. L. t. CXIX, col. 807, lit. B, ad Salom. regem ; 1785, D. Decret. Grat., Dist. 22, c. 1, Mediolanensibus. (Cf. supra, p. 102, n. 2.)
3. P. L., t CXIX, col. 822, lit. B et C, ad Hincmarum Remensem.
4. P. L., t. CXIX, col. 1152, lit. B, ad Adonem Viennensem.

§ 8.

In summa colligitur, hac alterave conjectura accepta, Nicolaum I papam Bituricensem primatiam non agnovisse in litteris quas Rodulphus accepit, vel accepisse putabatur.

Si nunc de litteris ipsis, neque tantummodo de Bituricensi earum significatione, conclusiones proponere audeamus, contendamus, ambabus conjecturis nostris conciliatis et inter se conjunctis, epistolam *Susceptis beatitudinis* vel *sanctitudinis* inscriptam, XI° sæculo confictam esse, e variis scilicet fragmentis, quæ, quum pleraque alias invenirentur, genuina unaquæque esse possunt. Nam prima extremaque epistolæ membra in litteris Nicolai Rotlando Arelatensi reperiuntur, dum conjectura I^a^ nostra non falsa sit; responsa seu capita e Decretalibus hausta sunt, et denique in capite II°, quod de primatia agit, « commentarium » memoriam forsitan prodit veri eventus, non aliter ac « responsum » ipsum Nicolao verisimiliter adscribendum est, dum in conjectura II^a^ nostra non erraverimus [1]. Sic, miro modo, dolosa conglutinatione genuinarum partium conceptum est figmentum nostrum, adeo ut in epistola Nicolai Rodulpho adscripta nihil adulteratum inveniatur, nisi epistola ipsa.

1. Quinimo, licet suspicari sumptum esse « responsum » ex epistola altera Rotlando a Nicolao missa, de qua mentio legitur in extremo membro litterarum nostrarum.

CAPUT V

DE CASU FROTARII

§ 1.

Extremo IX° et inchoante X° sæculo, Normanni carolinum imperium infestavere, Aquitaniamque vastavere. Ut metropolitanarum civitatum Aquitaniæ exempla tantummodo citemus, apud rerum scriptores medii ævi scriptum videmus Bituricam urbem Bituricensemque pagum jam a° 865[1] et usque ad a. 910 et 916[2] populata esse; necnon Burdegalam urbem ab a. 847, 848, 851[3] et sqq., etiam atque etiam exscissam esse. Existimant denique historici quidam Elusanam sedem circa a. 840-850 a Normannis destructam esse[4].

Tanto in discrimine rerum, et centum fere per annos, sicut antea, scilicet V° et VII° sæculis, omnia marcebant in Ecclesia. Vix casus unus nobis notandus est, cujus Normanni rursus causam interposuerunt.

---

1. Vide supra, cap. III, § 4, p. 50.

2. *Ann. Masciacenses;* M. G. H., SS., t. III, p. 169; H. Fr., t. VIII, p. 230.

3. Cf. Richter, *Annal.*, t. II, p. 341, 346, sq., 355.

4. Vide supra, cap. IV, § 3, p. 82, sq.

§ 2.

A° 876 Frotarius Burdegalensem sedem tenebat. Quum vero Normanni urbem denuo expugnarent & diruerent, Frotarius fuga salutem petere coactus est. Ad Carolum Calvum confugit, munere cujus « ambasciator » (vel cancellarius), dein Pictavensis episcopus & denique Bituricensis metropolitanus factus est. Johannes VIII papa, petente Carolo Calvo, auctoritate sua translationem Frotarii e Burdegalensi sede ad Bituricensem confirmavit. Sed episcopi hujus Galliæ regionis, qui eo tempore concilium Pictavii habebant, ad se quasi in jus Frotarium vocaverunt ut concilio se purgaret de translatione quam a Carolo Calvo et a Johanne VIII papa clam episcopis impetraverat (878). Posthac, quamquam a° 885 Marinus papa translationem Frotarii rursus confirmaverat, vituperatus est denuo Frotarius ab episcopis, quia sedem Burdegalensem suam deseruerat, et denique jussus est a Stephano V papa Burdegalam repetere (887-889). Latet vero an obediverit.

§ 3.

Apud Hincmarum [1] et in papalibus epistolis [2] variisque documentis [3] multa sunt indicia quæ adhuc

1. *Ann. Bert.*, ad a. 868, 876, 878 (edit. Dehaisnes, p. 172, 245 et 247, 269, sq.). Adde Flodoardi *Hist. eccl. Rem.*, lib. IV, cap. 1 et 6 (M. G. H., SS., t. XIII, p. 555, sq., 567); Hugon. *Chron.*, ad a. 887 (*ibid.*, t. VIII, p. 356).

2. Jaffé, *Reg. Pont.*, ed. IIa, nis 3049, 3054, sq., 3083, 3145, 3152, 3156, 3157, 3170, sq., 3178, 3191, 3199, 3425, sq.

3. *Acta concil.*, ad a. 866, 867, 876, 878 (H. Fr., t. VII, p. 51, 591,

servantur de casu Frotarii; quibus vero plures sunt enarrationes quas recentioris ætatis historici animo finxerunt. Postquam alii Frotarii casum breviter fuseve narraverunt, ut Vernier a.c. 1540 [1], Chaumeau a° 1566 [2], de Lurbe a° 1590 [3], Chenu a° 1603 [4], Besly a° 1647 [5], alii vero in narrationem interpretationem novam addiderunt. Quorum primus est Hauteserre, qui, a° 1648, hæcce verba scripsit [6] : « Certe Bituricensem primatum agnovit Frotarius Burdegalensis archiepiscopus, seque minorem fassus est dum... petiit se transferri ad cathedram Bituricensem quæ tunc vacabat... Translatio enim archiepiscoporum non fit nisi de minore sed ad majorem, ex canone concilii Sardicensis, et moribus ecclesiæ. » Similiter O'Reilly, a° 1856, inquiebat [7] : « Depuis lors [la translation de Frotaire, 876] Bourges était censé la capitale de l'Aquitaine et même de la Gascogne », Leroux denique, a° 1895 [8] :

690; t. IX, p. 167, 303); *Diplomata* Caroli Calvi, a^is^ 874, 876, 877 (H. Fr., t. VIII, p. 644, 653, 670, sq.), Carlomanni regis, a° 882 (H. Fr., t. IX, p. 426, sq., 432).

1. *Patriarc. Bituric.*, cap. 49, ap. Labbe, *Nova Bibl. mss.*, t. II, p. 68.

2. *Hist. du Berry*, p. 93 (liv. III, ch. 3).

3. *Burdegalensium rerum chronicon* (ed. I^a^, 1590), Chronique bourdeloise traduite en françois, ed. II^a^, 1594, 4°; ed. III^a^, 1619-20, 4°; IV^a^, 1672, 4°; V^a^, 1703, 4°, p. 71, sq.

4. Op. cit., ed. II^a^, p. 38.

5. *Histoire des comtes de Poictou et ducs de Guyenne*, Paris, 1647, 2 tomes, f°, t. I, p. 23, sqq. (chap. 8).

6. *Rer. Aquitan.*, lib. IV, cap. 4, t. I, p. 247. Cf. lib. VIII, cap. 5, t. II, p. 233, sqq.

7. *Histoire de Bordeaux*, t. I, p. 215-7.

8. *La Primatie de Bourges*, p. 11.

« L'archevêque de Bordeaux Protaire [sic] reconnaissait la primatie de l'autre [celui de Bourges] et jugeait ne point déchoir en passant du siège de Bordeaux sur celui de Bourges. »

Sed jam a° 1657 La Brousse[1], et a° 1668 Lopès[2] doctrinam a Dadino de Hauteserre editam refutaverant, et argumenta eorum exscripta sunt deinde, XVIII° sæculo, a scriptoribus « Galliæ Christianæ »[3] et XIX° sæculo a Paulo Hinschius[4]. Sæculo vero XVII° historici, ut Marca, Thaumas vel Thomassin, qui primatialia jura Bituricensis sedis omnimodo probare solebant, de casu Frotarii silebant ita quasi in eo probabile argumentum ad vindicias firmandas non invenissent. Nunc demum scriptores qui de Frotario loquuntur interpretationem ab Hauteserre olim excogitatam omittunt. Testes sunt Bernardau, a° 1837[5], Mary Lafon, a° 1842[6], Raynal, a° 1845[7], Ribadieu, a° 1884[8], Hauck[9] & præsertim Imbart de la Tour, a° 1890[10] qui, in narratiuncula, mira cum sagacitate, subtiliter describebat personas imperatoris, papæ et episcoporum, sed de primatia nullum faciebat verbum.

---

1. *Vindiciæ,* p. 37, et cap. 1-6.
2. Op. cit., t. I, p. 271, sq. Adde Dom Devienne, op. cit., t. II, p. 363.
3. G. C., t. II, col. 30, sq. ; col. 791, sq.
4. K. R., t. I, p. 597. Cf. p. 238.
5. *Histoire de Bordeaux,* Bordeaux, 1837, 8°, p. 386.
6. *Histoire politique, religieuse et littéraire du Midi de la France,* Paris, 1842-45, 4 vol. 8°, t. II, p. 40, sqq.
7. *Histoire du Berry,* t. I, p. 304-311.
8. *La Guyenne d'autrefois,* Bordeaux, s. d. (1884), 8°, p. 21, sqq.
9. *K. G. D's,* t. II, p. 515.
10. *Les Élections épisc.,* p. 141, sqq., 144, sq.

§ 4.

Nec mirum. Nam si constat concilium Sardicense translationem episcoporum permisisse ab inferiore solummodo sede ad superiorem, et si constat canones esse multos quibus translatio reprehendenda digamia quædam esse videtur, nihilominus vero constat translationes non omnino in Ecclesia prohibitas esse, et episcopos exstitisse quosdam qui dignitate pares sedes suas permutaverint, et Frotarium non nisi necessitate temporum translatum esse, et in translatione non ab inferiore ad superiorem sedem, sed potius primum ab superiore (vel Burdegalensi) ad inferiorem (vel Pictavensem), deinde ab inferiore (vel Pictavensi) ad superiorem (vel Bituricensem), et postremo a pari (vel Bituricensi) ad parem (vel Burdegalensem) sedem transiisse ; constat denique auctores ex quibus Frotarii translationem accipimus, nullam vocem mittere de præeminentia Bituricensis sedis, aut, ut hoc verbo utar, de Aquitanica primatia.

Comperimus igitur ex Frotarii casu Bituricensem sedem Burdegalensi non ut primatialem suffraganeæ antepositam, sed ut metropolitanam metropolitanæ extremo IX° sæculo æquatam esse.

§ 5.

Non aliter fit initio X[i] sæculi. Tunc, quum Bituricensis prælatus ecclesiastico titulo ornabatur, « archi-

episcopus[1] », aut « archipræsul[2] », aut « archiantistes[3] », non autem « primas » dicebatur.

§ 6.

Sed dum nihil novi in ecclesiastica hierarchia geritur, novus nascebatur politicus ordo. Defuncto enim Carolo Calvo (a° 877), labefactum est carolinum Aquitanicum regnum, et feudale jus usurpaverunt liberi homines.

In Wasconia, hereditarii duces rursus exstiterunt ab a° 872 usque ad a. 1032. Simili modo, in regione quæ inter Garumnam et Ligerim flumina interjacet, restitutus est Aquitanicus ducalis titulus, quem vicissim obtinuerunt Pictavenses et Tolosani et rursus (ab a° scilicet 950 ad a. 1137) Pictavenses comites. Et, quemadmodum, meridiana in regione, opibus valebat et gloria florebat (ab a° 778 ad a. 1271) Tolosana comitiaca familia, quæ stirps erat Rutenensium comitum, quorum in Gothia vel Narbonensi pago quoque vigebat potestas, sic, septentriones versus, in Francia scilicet, Capetiana gens in nominis claritatem adeo emersit ut Hugo regnum tandem adeptus sit, a° 987.

1. *Annal. Masciacenses,* ad a. 910 et 955 (M. G. H., SS., t. III, p. 169, sq.; H. Fr., t. VIII, p. 230, sq.); cf. Guillelmi Aquitanici *testamentum,* ap. Sirm., *Conc. Gall.,* t. III, p. 569, sq.; *Chartæ* duæ, a. 917 et 926 conscriptæ (H. Fr., t. IX, p. 86, n. [cf. G. C., t. II, col. 34, sq.] et 715).

2. Ludovici Transmarini *diplomata* duo a° 944 data (H. Fr., t. IX, p. 599 et 600); *Ann. Masciacenses,* ad a. 948 (M. G. H. et H. Fr., loc. cit.); Aimoini Monachi Floriac. *De gestis Francorum,* lib. IV, cap. 2 (initio XI[i] sæc.), in H. Fr., t. III, p. 118.

3. Ludovici Transmarini *diploma* a° 948 dat. (H. Fr., t. IX, p. 605).

§ 7.

Quum inter se luctarentur semper et sine ulla intermissione feudales nobiles, et in partes suas vassatos subjectosque traherent, inter quos, volentes nolentesve, ecclesiastici prælati numerabantur, duriore fortuna conflictabatur ecclesiastica hierarchia.

Sane Aquitania IIIª provincia, cui Auscitanus episcopus ut metropolitanus a medio X° sæculo præerat, in Wasconico ducatu tota comprehendebatur. Sed Aquitania IIª provincia in duas partes dividebatur. Nam, dum Burdegalensis metropolitana civitas et Agenensis episcopatus intra fines Wasconiæ continentur, obnoxiæ erant cæteræ civitates ducibus Aquitaniæ, vel directe, ut Pictavensis et Santonensis, vel mediis peculiaribus comitibus, ducum vassatis, ut Petrocoricensis et Engolismensis civitates. Quinimo in Aquitania Iª provincia[1] civitates regebant quum Aquitaniæ ducum vassati, ut Claromontenses comites, qui domus duas invicem constituerunt, et Gabalitani comites, qui Mimatensem et Aniciensem seu Velavensem pagos quoque tenebant, salvis vero regis Franciæ juribus, et Lemovicenses comites; tum Tolosani comites, qui Rutenensi, Albiensi Cadurcensique pagis potiti erant. Denique in Bituricensi pago imperabant et comites (usque ad a. 927), Aquitaniæ ducum vassati, et vicecomites (usque ad a. 1095, quo vicecomitiva dignitas a Philippo I Franciæ rege ære parata est). Jam vero Bituricenses metropolitani,

---

1. Vide Imbart de la Tour, op. cit., p. 249-253.

ut Richardus (956-959) et Hugo (959-987) in clientela erant Capetianorum ducum, quibuscum vinculis et propinquitatis et affinitatis conjungebantur[1].

Ut eorum quæ dixi summam faciam, tali modo dividebatur Aquitania ut provinciæ ecclesiasticæ in contrarias partes distraherentur et metropolitanæ civitates a suffraganeis velut resectæ viderentur. Quum tanto discrimine distaret ordo politicus ab ordine ecclesiastico, non mirum est si, hoc tam turbido tempore, pax lacessabatur in Ecclesia. Ex eventis quæ tunc acciderunt quædam nobis excerpenda sunt, quæ ad primordia Bituricensis primatiæ pertinere videntur[2].

1. Vide Imbart de la Tour, op. cit., p. 246.

2. Quamquam de primatia nondum agebatur. Nam, extremo X° sæculo, metropolitana (nec primatialis) habebatur Bituricensis sedes. Vide *Diplom.* a° 988 et c. a. 990 data : Dagbertus Bituric. « archiepiscopus » (H. Fr., t. X, p. 553 ; G. C., t. II, instr., col. 226) ; *Acta concilii Remensis ad S. Basolum* auctore Gerberto archiepiscopo, a° 991 : « ... ex provincia Bituric., quæ Aquitanorum esse putatur, Daibertus archiepisc. ». M. G. H., SS., t. III, p. 659 (Cf. ibid., p. 643, sq., Richeri *Hist.* lib. IV, cap. 52) : « Daibertus Bituricensium metropolitanus », et H. Fr., t. X, p. 321, vel M. G. H., SS., t. III, p. 170. *Ann. Masciac.* in Biturigibus, ad. a. 1013 : « Obiit Daibertus archiepiscopus ». Adde Prolog. II *Vitæ S. Deicoli* (quæ post a. 973 componebatur, ut ait Duchesne, *S. Martial*, p. 313). « Bituricas Aquitaniorum Metropolis », M. G. H., SS., t. XV, p. 675.

CAPUT VI

DE CONTENTIONE INTER BITURICENSEM BURDEGALENSEMQUE METROPOLITANOS IN LEMOVICENSI DIŒCESI

§ 1.

In Lemovicensi pago, vicecomites simul ac episcopi ducibus Aquitaniæ obnoxii erant. Quamquam Guido, Lemovicensis vicecomes, partes secutus erat comitis Petrocoricensis, et, ut quidem apparet, amborum ultimorum carolinorum regum adversus ducem Aquitaniæ dominum suum (c. a. 993), tamen feudalia vincula non revellit. Fratres ejus, Hildegarius scilicet (976-990) et Alduinus (990-1012), deinde nepos ejus Gerardus (1012-1020/3) Lemovicenses episcopi facti sunt[1]. Jam ab aº 958, quo Eblus, Hildegarii antecessor et Guillelmi ducis frater, electus erat, Lemovicenses episcopi consecrationem a rege petere omittebant.

§ 2.

Tunc temporis, summa gloria florebat ecclesia Lemovicensis. In cingulo urbis sacer locus erat, quo con-

---

1. Gaufredi Vosiensis *Chronic.* cap. 41 (H. Fr., t. X, p. 269). Cf. Lasteyrie, *Étude sur les comtes et vicomtes de Limoges antérieurs à l'an 1000* [Bibliothèque de l'École des hautes études, sciences historiques et philologiques, fascicule 18], Paris, 1874, 8º, p. 41 et 84.

fluebant peregrini. Sepulcrum S. Martialis religiose colebant in crypta ecclesiæ S. Salvatoris dictæ, et miracula illius apostoli reverebantur. Habebatur enim apostolus Jesu Christi S. Martialis, et in monasterio juxta ecclesiam sito necnon S. Martiali ipsi consecrato monachi strenuissime tunc curabant ut « apostolicitas » sancti patroni legitime in Ecclesia declararetur. Industrie colligebat Ademarus Cabannensis apostolicæ legendæ S. Martialis elementa[1], quorum fidem agnoverunt et papa, et rex Franciæ, et dux Aquitaniæ, et Bituricensis Burdegalensisque metropolitani cum suffraganeis episcopis, inter quos Lemovicensis nobis notandus est, et quinque concilia vicissim Parisiis, Pictaviique a° 1024, Lemovici a° 1029, Bituricæ Lemovicique denuo a° 1031 habita.

Haud facile quidem, et non sine magno negotio. Æmulus enim abbatis monasterii S. Martialis erat Lemovicensis episcopus, non minus quam ducis Aquitaniæ Lemovicensis vicecomes et Lemovicensis suffraganei episcopi Bituricensis metropolitanus et regis Franciæ dux Aquitaniæ, etc. Negotia quæ tunc Lemovici agebantur non varia solum et quasi multiplicia erant, quum tam ad politicum quam ad ecclesiasticum ordinem pertinerent, verum etiam difficilia cognitu nostris temporibus videntur, quum ab Ademaro Cabannensi ipso, cujus memoria infidelitatis suspicionem aliquando sustinet, nobis tradita sint.

1. De quibus eruditissime disputavit Duchesne, qui, in dissertatione *St Martial de Limoges* [Extrait des *Annales du Midi*, t. IV, juillet 1892, Toulouse, 1892, 8°] inscripta, opinionem minuit abbatis Arbellot, recentissimi, necnon, ut licet arbitrari, ultimi discipulorum Ademari Cabannensis.

Simplex tamen et unica est causa eventorum de quibus singillatim locuturi sumus, ut Bituricensis primatiæ originem enucleemus. Nam, quum Lemovicensis episcopus Aquitanicis partibus implicaretur, Bituricensis vero archiepiscopus, Aquitaniæ Iæ et Lemovicensis diœcesis metropolitanus, a Franciæ causa stabat.

§ 3.

Casus Ius (c. a. 990). — « Successit [Aldegario] Alduinus frater ejus per manum Wilhelmi ducis, ait Ademarus Cabannensis[1], consecratusque est Egolismæ ab archiepiscopo Burdegalensi Gumbaldo et a Fronteno Petragoricensi et Abone Sanctoniensi et Ugone Egolismensi, qui eum Lemovicæ inthronizavit. » Igitur quamquam Dagbertus archiepiscopalem sedem Bituricæ tunc obtinebat (ab aº 987 ad a. 1013), eligebatur Lemovicensis episcopus item quasi diœcesis ejus in Aquitania IIa contineretur.

Casus IIus (aº 999 vel 1000). — In actis concilii Pictavensis hoc legitur[2] : « Idibus januariis Guillelmo Pictavense duce convocante concilium, Pictavi convenerunt episcopi nº V : archiep. Burdegalensis Siguinus; Gislebertus Pictavensis, Hilduinus Lemovicensis, Grimoardus Engolismæ civitatis, Islo Santonensis et abbates XII pro restauratione ecclesiæ. » Sedebat ergo Lemovicensis episcopus in provinciali synodo Aquitaniæ IIæ,

---

1. *Chronicon Aquitanicum et Francicum,* lib. III, cap. 35 ; H. Fr., t. X, p. 147 ; M. G. H., SS., t. IV, p. 132.

2. H. Fr., t. X, p. 536.

sic quasi suffraganeus esset Burdegalensis metropolitani.

Casus III^us (c. a. 1012-1015). — Ex Ademaro Cabannensi[1] : « Et successit pro eo [Alduino] reverentissimus Geraldus nepos ejus, et consecratus est Pictavis *apud S. Hilarium mense novembri pro omnibus gradibus ecclesiasticis a Gisleberto episcopo, et in gradu pontificali* a Siguino *monacho* archiepiscopo *Burdegalensi.* Non enim adesse potuit Gauzlenus Bituricensis archiepiscopus quia necdum receptus erat in sede Biturica : habuit tamen ibi missos duos ex S. Benedicti monachis. Simul interfuerunt episcopi Gislebertus Pictavensis, Arnaldus Petragoricensis, Illo Santonicensis, Grimoardus Egolismensis. » Satis constat[2] Bituricenses diu (ab a° scilicet 1013 usque ad a. 1017) repugnavisse quominus Gauzlinus archiepiscopalem sedem occuparet. Erat enim Gauzlinus Hugonis Capeti nothus, et quamquam Floriacensis abbas jam antea factus erat, Bituricensis metropolitanus nunc eligebatur a con-

1. *Chronicon Aquitanicum et Francicum,* III, 49; H. Fr., t. X, p. 153 ; M. G. H., SS., t. IV, p. 138 (Verba quæ *italicis litteris* notantur interpolata sunt). Cf. Bernard. Guid., episc. Lodov. : « Alduino Geraldus nepos ejus successit apud S. Hilarium Pictavis consecratus, annis VIII rexit », ap. Besly, *Hist. des comtes du Poitou,* p. 316 (cf. cap. 18, p. 62). Adde Delisle, *Mém. Soc. archéol. Orl.*, t. II (1853), p. 261, n. 1.

2. Vide G. C., t. II, col. 38, sq.; Delisle, *Vie de Gauzlin, abbé de Fleury et archevêque de Bourges*, par André de Fleury [*Mémoires de la Société archéologique de l'Orléanais,* t. II, Orléans, 1853, 8°], p. 260, sqq.; Pfister, *Études sur le règne de Robert le Pieux* [Bibliothèque de l'École des hautes études, section des sciences historiques et philologiques, fascicule 64, Paris, 1885, 8°], p. 190, sq.; Jaffé, *Reg. Pont.*, edit. IIa, n^is 3994 et 3995.

sanguineo fratre suo Roberto rege dicto Pio. Etsi dignitatis novæ nondum potitus erat, tamen Lemovicensem electionem non neglexit, quæ vero ita habebatur ut denuo curaretur a prælatis IIæ Aquitaniæ.

Casus IVus (a° 1020 vel 1023). — Hisce verbis pergit Ademarus Cabannensis[1] : « Et ipse [Giraldus Lemovicensis episcopus], quia thesaurarius S. Hilarii erat, cum iret Pictavis ad festivitatem omnium SS., ægrotans in S. Carrofo, intra dies XV obiit, et ibi sepultus est[2]. Ad caput ejus tabula plumbea posita est scripta : « Hic requiescit Giraldus Episcopus Lemovicæ, obiit III idus Novembris, præfuit eidem sedi VIII annis. » Etenim Giraldi sepulcrum invenit Texier[3] a° 1848 in hodiernis ruderibus monasterii Carrofensis, quod vero adeo inclytum erat et celebre medio ævo inter IIæ Aquitaniæ prælatos, ut in eo concilia bis ii habuerint a° 988 et 1028[4].

Casus Vus (a° 1020 vel 1023). — Apud Ademarum Cabannensem hoc denique scriptum videmus[5] : « Post mortem vero supradicti Girardi episcopi, decertabant principes Lemovicenses pro episcopatu... Tunc populus

1. *Chronic. Aquitan. et Franc.*, III, 50 ; H. Fr., t. X, p. 154 ; M. G. H., SS., t. IV, p. 139.

2. Cf. *Ann. Lemov.*, ad a. 1020, vel 1023 (variæ sunt lectiones) : « Obiit Geraldus Episcopus, Karrofo sepultus est », H. Fr., t. X, p. 177 ; M. G. H., SS., t. II, p. 252 ; Bern. Guid. episc. Lodov. : « Geraldus... annis VIII rexit et pergens Pictavim versus obiit apud Carrophium, seu Carropham, ubi sepultus », ap. Besly, *Histoire des comtes du Poitou*, p. 316.

3. Texier, Charroux, *Bulletin de la Société historique et archéologique du Limousin*, t. III (1848-50), p. 66 et 95.

4. Vide H. Fr., t. X, p. 360, lit. E, n. A. Cf. t. X, p. 536.

5. *Chronic. Aquitanic. et Francic.*, lib. III, cap. 57 ; H. Fr., t. X, p. 158, sq. ; M. G. H., SS., t. IV, p. 142.

urbis letanias cum monachis et canonicis propter hoc peregit, et dux prudentissimus cum suo consiliario Willelmo comite Engolismensi apud S. Junianum placitum habuit ex hac causa. Adfuit ibi Wido vicecomes et omnes principes Lemovicini. Ibi Dei nutu elegit in episcopatus honore Jordanum præpositum ecclesiæ S. Leonardi, magnæ nobilitatis et simplicitatis virum ; surgensque mane a monasterio S. Juniani, cum duobus episcopis Islone [Sanctonensi] [1] et Isimberto [Pictavensi], et multitudine principum devenit dux ad urbem... Die crastino... ad sedem S. Martialis in aulam S. Stephani Jordanum deduxit, et cum baculo pastorali ibi eum gratis honore pontificali vestivit, eratque finis januarii mensis, et reversus est Pictavis. Quadragesima superveniente, dux Romam abiens filio suo prudentissimo adolescenti Willelmo imperavit ut revertens ordinatum reperiret episcopum. Quod ille adimplere curavit, et... Angeriaco [Jordanus]... consecratus est ab Islone episcopo *Sanctonensi et coadjutore archiepiscopi Burdegalensis* et Roone [Engolism.] atque Arnaldo [Petrocoric.] necnon et Isimberto [Pictavensi] episcopis [2]. Post vero a

---

1. Siguino... Burdegalensi archiep. defuncto, et Acio post eum ordinato et non longe post vita privato, dux Aquitaniæ Willelmus et dux Vasconum Santius, aggregato conventu ap. Blaviam, constituerunt archiep. Gotefridum natione Francum, moribus honestum ; qui ibidem ap. S. Romanum consecratus est a suffraganeis episcopis *Nam Islo episc. Sanctonicensis, qui archiepiscopatum ipsum susceperat, vivente et rogante Acio, paralysi damnato, spontanee dereliquit secundum canonum instituta* (Adem. Caban., III, 69 ; H. Fr., t. X, p. 164 ; M. G. H., SS., t. IV, p. 148).

2. Adde Bernard. Guid. episc. Lodov. (ap. Besly, op. cit., p. 328, sq. ; cf. Labbe, *Nova Biblioth. mss*, t. II, p. 268) : « [Jordanus] c :-

clarissimæ indolis Willelmo comite et Arnaldo Petragoricensi episcopo Lemovicam deductus inthronizatus est in sede S. Martialis. Archiepiscopus vero Bituricensis Gauzlinus ad cujus diœcesim Lemovica pertinet, *quia pecuniam requirebat pro impositione manuum, contemptus est et* quia sine sua auctoritate consecratus est episcopus, facta synodo in Francia, coram rege Rotberto, ubi VII archiepiscopi adfuerant die Pentecostes cum suffraganeis episcopis, totum Lemovicum excommunicavit, præter locum S. Martialis, et quæ proprie ad eum pertinebant, ipsumque prohibuit ab officio suo episcopali. Qui... *tamen* satisfaciens nudis pedibus cum C. clericis et monachis, omnibus similiter discalciatis pedibus, Bituricam sedem adiit, ubi archiepiscopus cum clero eis processit obviam et honorifice eos deducens, quod ligaverat, absolvit. »

Haud dubium est quin eventa quæ memoriæ ab Ademaro Cabannensi sic tradita sunt, velut adstricto vinculo conjungantur cum eis de quibus jam supra locuti sumus quum apostolicam legendam S. Martialis commemorabamus. Propositi vero nostri non interest

---

secratus fuit episcopus ab Halone, archiepiscopo Burdegalensi ac tribus aliis episcopis, Bosone scilicet, Arnaldo et Isemberto, et deinde a Guillemo ipso comite et Arnaldo Petragoricensi episcopo in Lemovicam deductus inthronizatus fuit in sede sanctissimi Martialis. » Apud LABBE legitur vero : « Consecratus fuit episcopus ab Islone Sanctonensi episcopo et Helia archiepiscopo Burdegalensi, ac tribus aliis episcopis, etc.... » Cf. *Chronica* GAUFREDI VOSIENSIS (H. Fr., t. X, p. 268) : « Consecratus in ecclesia S. Joannis de Angelis per dominum Hilbonem Xantonensem episcopum » ; *Epist.* FULBERTI CARNOTENSIS ad Guillelmum ducem Aquitanorum (H. Fr., t. X, p. 468). « Fecisset... Bituricensis episcopus juxta consilium nostrum, ut ait, de Lemovicensi episcopo, nisi eum regalis iræ formido detineret. » (Cf. p. 465.)

singula nunc recensere [1]; hoc unum nobis animo notandum videtur, quod, rerum fortunæ beneficio, Lemovicensis episcopus, annis quidem triginta peractis, Bituricensem prælatum ut metropolitanum suum denuo agnovit.

Casus VI^us (ab a° 1024 ad a. 1029). — Sed jam a° 1024, vel c., Pictavensi concilio Lemovicensis episcopus aderat una cum plerisque prælatis Aquitaniæ IIæ [2], quos rursus ipse vocavit a° 1028 ad dedicationem [3], et extremo eodem a° 1028 ad consecrationem [4] novæ Lemovicensis ecclesiæ S. Salvatori dictæ, necnon et ad concilium a° 1029 Lemovici habitum. Attamen vivebat etiamtum Gauzlinus Bituricensis, qui mortuus est demum a° 1029 [5].

Casus VII^us (a° 1031). — Mox quidem paulo, in dicione Iæ Aquitaniæ metropolitani iterum tenebatur Lemovicensis episcopus. Nam apud rerum scriptores videmus mense novembri a° 1031 Aimonem de Borbonio, Gauzlini successorem suffraganeos episcopos,

1. Vide Besly, op. cit., cap. 19, p. 65, sq.; G. C., t. II, col. 39, sq.; Delisle, *Mém. Soc. archéol. Orl.* (1853), t. II, p. 261; Pfister, op. cit., p. 195, sq., 341, sqq.; Imbart de la Tour, op. cit., p. 298; Duchesne, *S. Martial,* p. 319, sqq.

2. *Chron. S. Maxentii,* H. Fr., t. X, p. 233.

3. *Annal. Lemovic.,* H. Fr., t. X, p. 177; M. G. H., SS., t. II, p. 252.

4. *Chron.* Gaufredi Vosiensis, H. Fr., t. X, p. 268.

5. *Chron. Floriacense,* ad. a. 1029; H. Fr., t. X, p. 173, M. G. H., SS., t. II, p. 255. Cf. *Hist. translationis reliquiarum S. Euspicii abbatis,* H. Fr., t. X, p. 370. De epitaphio Gauzlini optime disseruit Boucher de Molandon, in *Mém. Soc. arch. Orléanais,* t. VIII, a° 1884, p. 56, sqq.

scilicet Jordanum Lemovicensem, Stephanum Velavensem, Renconem Arvernensem, Raymondum Mimatensem, Amelionem Albiensem et Deodatum Cadurcensem convocavisse, atque duobus continuis conciliis [1] Bituricæ dein Lemovici præfuisse.

Casus VIIIus (a° 1047). — Quinimo ferunt Aymonem, suffraganeorum obedientia non contentum, longius processisse. A° 1621 Chenu loco quodam hæc dicit : « Aimon dum archiepiscopatum Burdegalensem visitaret, authoritate primatiali, consecravit monasterium S. Frontonis in urbe Petracoricensi, ut in veteri membrana ejusdem ecclesiæ legi a° 1615, quam mihi RR. Franciscus de la Béraudière episcopus Petracoricensis benevole communicavit, cum essem Petragori [2]. » Ut Chenu, sic « Galliæ Christianæ » eruditissimi auctores locuti sunt [3] : « Jure et auctoritate primatis archiepiscopatum Burdigalensem visitavit [Aimo de Bourbon]. »

Atqui auctor quem afferebat Chenu, a Labbeo in « Nova Bibliotheca mss. » editus est [4] ; de primatia vero silet, ut declarant verba ejus : « A° Di 1047, feria IV, magnum monasterium S. Frontonis dedicatum est ab Aymone Bituricensi archiepiscopo. » Accipimus [5]

---

1. Quorum acta Labbe vulgavit in *Nova Bibl. mss.*, t. II, p. 766, sqq. Cf. Imbart de la Tour, p. 370, 372 ; Duchesne, *S. Martial*, p. 321, sq.

2. Chenu, op. cit., p. 44. Cf. Catherinot, 1re partie, p. 4.

3. G. C., t. II, p. 42, lit. A. Adde Thaumas, p. 279.

4. T. II, p. 738 ; H. Fr., t. XI, p. 287 : Fragmentum de Petragoricensibus episcopis.

5. G. C., t. II, instr., col. 482, sq. ; Briand, *Hist. de l'Égl. Santone*, t. I, La Rochelle, 1843, 8°, p. 281-294.

insuper Bituricensem prælatum dedicationi ecclesiæ Stæ Virginis Santonis adfuisse, simul cum Burdegalensi Vesontinoque metropolitanis. Dedicationis chartam subscripsit primus Archambaldus Burdegalensis : primum enim locum in provincia sua obtinere debet metropolitanus.

Concluditur ergo Bituricensem prælatum in Aquitaniam IIam incurrisse, non quasi bellum Burdegalensi archiepiscopo inferret, sed, e contrario, ut consuetudines faceret cum Archambaldo qui eodem anno archiepiscopus electus erat. Quid multa? Quum metropolitani ambo communiter peregrinabantur, discordias ponebant quæ quinquaginta ante annos exortæ erant de finibus Aquitanicarum provinciarum.

§ 4.

Attamen, quamquam de primatia nondum agebatur, contentio quæ tali modo conquiescebat evaserat perinde ac si de primatia quæstio fuisset.

Quemadmodum enim, sæculo XIo, Lemovicensis episcopus metropolitanam Bituricensis prælati auctoritatem repudiabat, non ecclesiasticæ hierarchiæ despicientia, sed quia Aquitanicis favebat partibus; sic, sæculo XIIIo, Burdegalensis archiepiscopus primatialem Bituricensis prælati auctoritatem excutere conaturus erat, nullam aliam ob causam nisi instigatione Aquitaniæ ducis (tunc Angliæ regis) qui cum rege Franciæ, Bituricensis archiepiscopi patrono, certamina atque æmulationes laudum semper proponebat. Sæ-

culo XIII° ut XI°, orta est ecclesiastica contentio politicis e causis.

Sed, sæculo XI°, quum Burdegalensis prælatus in Aquitaniam Iam et rursus Bituricensis in Aquitaniam IIam invadebat, quæstio erat de provinciarum finibus, qui, quamvis in « Notitia » jampridem constituti essent, rerum errore vagabantur, et in diversa agitabantur. Non dubium est quin Lemovicensis civitas Burdegalensis metropolitani suffraganea aliquamdiu fuerit. Sæculo vero XIII°, quum Bituricensis prælatus in Aquitaniam IIIam invasurus erat, primatialem auctoritatem prætendebat suam. Sed etiamtum, quamquam ex jure canonico litis causa non eadem quæ antea esse videbatur, re autem vera æmulatio semper erat inter metropolitanos ambos de mutuis juribus.

§ 5.

Quæ quum ita sint, constat primatiam nemini in mentem venisse, sæculo saltem XI°. Allegatur tamen in contrario locus qui, medio eodem sæculo scriptus, apud Helgaudum Floriacensem legitur : « In honoribus sæculi eum [Gauzlinum, Rotbertus rex] honorans attribuit illi honores non minimos, abbatiam S. Benedicti, quæ est caput totius ordinis monastici, et episcopatum Bituricensem, S. protomartyris Stephani, principatum tenentis totius Aquitaniæ, qui fuit et est honor et decus Franciæ[1]. » Jam c. a. 1550 Vernier[2] et a° 1681

1. *Vitæ Roberti Regis* cap. 29 ; H. Fr., t. X, p. 113.
2. *Patr. Bitur.*, in fronte libri (Labbe, *Nova Bibl. mss.*, t. II.)

Catherinot[1], verba « principatum totius Aquitaniæ », notantes, concludebant Bituricensem archiepiscopum Helgaudi temporibus trium Aquitanicarum provinciarum primatum fuisse.

Sed facile est errorem eorum castigare. Nam, quum Helgaudus Floriacensis in loco supra citato laudes Gauzlino tribuat, et honores ejus non sine quadam obsequentia enumeret, verba ejus non perquam stricte nobis interpretanda sunt. Idem fit de Helgaudo quod de Desiderio Cadurcensi qui patriarchali titulo Bituricensem prælatum quondam decoravit[2], vel de Adrevaldo Floriacensi[3] qui Bituricam caput regni Aquitanici nuncupavit. Huc adjice quod medio XI° sæculo, Aquitania III[a], quæ Wasconia id temporis appellabatur, simul cum Burdegalensi civitate, dicioni ducis Aquitaniæ nondum subjecta erat, tali modo ut Bituricensis metropolis una in Aquitania tunc exstaret; nec dubium est quin Helgaudus de Aquitania magna Romanorum non locutus fuerit. Accidit illud : varie legitur locus noster. Pro verbis « est honor et decus Franciæ », hæcce subjiciuntur in codice quodam fere coætaneo : « est et bonorum et decus Franciæ ». Quam lectionem alteri anteponebat Pfister[4]. Nec immerito. Correctione enim adhibita, clarius apparet et exstat id quod gravissimum est. Quippe ex loco Helgaudi comperimus Bituricensem

1. *Le Patriarcat de Bourges*, 1re partie, p. 2; Thaumas, p. 278.

2. Vide supra, cap. II, § 6.

3. Vide supra, cap. III, § 4.

4. *Études sur le règne de Robert le Pieux*, p. 190, n. 3. « Nous avons rétabli la leçon du manuscrit. Le passage doit se traduire : « L'archevêché de Bourges, qui est à la tête de l'Aquitaine et qui relève de la Francia ». Similiter anonymus monachus cœnobii S. Genulfi Stra-

sedem præeminentem fuisse non tam in Aquitania I^a, vel II^a, quam in Francia.

E contrario, Burdegala, exstincta ducali domo Wasconica (a° 1032), sub imperium ducum Aquitaniæ cecidit (a° 1052), quorum urbs prima frequentissimaque exstitit (usque ad a. 1137, quo Eleenora, ultima soboles ducalis Aquitanicæ stirpis, Ludovico VII regi Franciæ nupsit).

Sæculo igitur XI°, tantum abest ut primas unicus ecclesiasticam Aquitaniam regat, ut Bituricensis Burdegalensisque metropolitanæ civitates capita sint quum regalis Franciæ tum ducalis Aquitaniæ.

---

densis, in pago Bituricensi, hisce utebatur verbis (medio XI° sæc.) : « S. Austregisilus, magne metropolis Byturicensis archiepiscopus » ... « Quidam Bituricensium comes exstitit, vocabulo Wifredus... Hic ergo suis temporibus clarissimis usus honoribus, utpote primæ capitis Aquitaniæ comes... » (M. G. H., SS., t. XV, p. 1205 ; H. Fr., t. VI, p. 330).

CONCLUSIO

Theses si proponemus, argumentum concludemus.

I) Ex eventis casibusque, de quibus sermo fuit, sunt quæ ad Bituricensem primatiam pertinere non videntur, neque quum evenerunt, neque quum explicantur a recentioribus scriptoribus[1].

II) Sunt vero quæ, quamvis ad primatialia jura Bituricensis sedis non pertinerent, quum evenerunt, tamen ut primatiæ primordia et origines nobis existimanda sunt, necnon a Bituricensibus prælatis ipsis, ut quidem apparet, allata sunt pleraque, quum, extremo XI° sæculo, Summi Pontifices primatialem gradum in Gallicana Ecclesia instituebant, et Aquitanicam primatiam (ab a° 1079 usque ad a. 1146) tandem agnoscebant[2].

III) Sunt denique casus duo, quorum alter non sine quadam verisimilitudine[3], alter vero dubius nec fide dignus apparet[4], qui, quum evenerunt (si evenerint), declarare videntur Bituricensem prælatum non sane primatiali dignitate sed primatu quodam, quo metropolitanis episcopis Aquitaniæ auctoritate præstaret, aliquando potitum esse.

---

1. Vide supra, cap. I, § 1, 2 ; II, § 3 (?), 4 ; III, § 2 (?), 4, 5 (?), 6, 8, 9, 10, 11, 12 ; V, § 2, 3 ; VI, § 3, n° VIII, § 5.

2. Cap. I, § 3, 5 ; II, § 3 (?), 5, 6 ; III, § 2 ; IV, § 1, 2 ; VI, § 4.

3. Cap. II, § 7.

4. Cap. IV, § 3, n° I. Cf. cap. III, § 5 (?).

IV) Primatia enim, quam definimus ut ecclesiasticæ hierarchiæ specialem gradum, inter papalem metropolitanumque medium, necnon more ac jure legitime constitutum, nobis secernenda est a primatu vel a præeminentia præstantiave quadam metropolitani cujusdam in cæteris ejusdem regionis metropolitanis episcopis.

V) Eventis de quibus locuti sumus in tres classes tali modo distributis, necnon et primatiæ primatusque definitione sic posita, nullum restat signum Bituricensis primatiæ, a IV° usque ad extremum XI^um^ sæculum.

VI) Nec mirum. Nam si Bituricenses prælati primatiali jure usi sunt XII° et XIII° sæculis, non sequitur ut primates facti sint jam ab ultimo Ecclesiæ principio. Quemadmodum episcopalem dignitatem primum obtinuerunt, deinde vero metropolitanum et archiepiscopalem titulum lente ac paulatim adepti sunt, sic, extremo XI° sæculo, nec antea, ad primatialem gradum tandem pervenerunt : non enim immutabilis et sibi semper similis nobis ducenda est Bituricensis sedis dignitas, vel ecclesiastica hierarchia ipsa.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XIV Kal. sept., an. MDCCCXCVI,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus :
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector.

Pour le Vice-Recteur,
L'Inspecteur de l'Académie :
B. NIEWENGLOWSKY.

INDEX NOMINUM

E

F

G

*

R

S

INDEX CAPITUM

Nanceii, ex typis Berger-Levrault & Sodalium.